
LATIN PASSAGES FOR TRANSLATION

M. ALFORD


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

Latin Passages for Translation

MACMILLAN AND CO., LIMITED
LONDON · BOMBAY · CALCUTTA
MELBOURNE

THE MACMILLAN COMPANY
NEW YORK · BOSTON · CHICAGO
ATLANTA · SAN FRANCISCO

THE MACMILLAN CO. OF CANADA, LTD
TORONTO

Latin Passages for Translation

For the use of Higher Forms in Schools
and of Students working for
Pass Degrees

Selected by

M. Alford

Lecturer in Classics at Girton and Westfield Colleges

MACMILLAN AND CO., LIMITED
ST. MARTIN'S STREET, LONDON

1909

First Edition, 1902.
Reprinted 1909.

GLASGOW: PRINTED AT THE UNIVERSITY PRESS
BY ROBERT MACLEHOSE AND CO. LTD.

PREFACE

MANY of the learners with a view to whose needs these passages have been chosen, read in Latin chiefly books set for examinations. When the "set books" for a year contain little that is suitable as a model for prose composition, advance in such composition depends largely on materials furnished by the translation-book: hence one object at which I have aimed has been to give an abundance of the best Latin prose. Some pieces have been selected especially as suitable for re-translation, a practice as to the usefulness of which I humbly endorse the opinion of Roger Ascham.

With regard to the readings adopted, I have taken pains to use good texts, but have thought myself at liberty,—the aim of the book not being critical,—in some cases to choose an easier reading if backed by fair authority in preference to one which was better supported. In No. CXV. I have inserted two words intended to give the general sense of what Tacitus wrote, as nearly as I could arrive at it. And in the last line of No. IV. I have ventured to add *posse* on my own

responsibility: though *deterreri* alone may perhaps be right, it involves a divergence from normal usage, and my desire being to fix attention mainly on what is normal in the best Latin, the insertion of *posse* seemed to me allowable (it may easily have been lost in this position).

In spelling I have not aimed at uniformity where more than one form is found in good editions, thinking it better that the learner should become accustomed to diversity. Thus *e.g.* both *omnis* and *omnes* will be found as accusative plural. A few such forms as *quoiquam*, *quom*, have been admitted near the end.

The employment of a distinct symbol for consonantal *u* according to the modern device, while *i* has but one sign, whether vowel or consonant, is a compromise that I have accepted somewhat reluctantly. But the fact of its being widely used recommends its adoption in such a book as this.

The passages of each kind (prose and verse) have been arranged approximately in an order of increasing difficulty. Teachers will generally find it desirable to vary the order, choosing *e.g.* pieces of which the subject-matter throws light on the book in reading; but I think a student working alone might very well take the passages of each kind as they stand arranged.

In conclusion I wish to add that a book such as this ought in my opinion to be accompanied by a volume of versions for the use of teachers and private students. I have attempted renderings of a large number of the extracts, and hope to prepare a complete collection.

Preface

Should any teachers who use this book wish for a volume of versions, I should be very grateful if they would communicate with Messrs. Macmillan or with me on the subject.

M. ALFORD.

16 Nutford Place, London, W.
January, 1902.

CONTENTS

Contents

Contents

Contents

Contents

LATIN PASSAGES FOR TRANSLATION

I

C. vero Gracchus multis dixit, ut scriptum apud eundem Coelium est, sibi in somnis quaesturam petere dubitanti Ti. fratrem visum esse dicere quam vellet cunctaretur, tamen eodem sibi leto quo ipse interisset esse pereundum. hoc ante quam tribunus plebi C. Gracchus factus esset et se audisse scribit Coelius et dixisse eum multis. quo somnio quid inveniri potest certius?

quid? illa duo somnia, quae creberrume commemorantur a Stoicis, quis tandem potest contemnere? unum de Simonide. qui cum ignotum quendam proiectum mortuum vidisset eumque humavisset haberetque in animo navem conscendere, moneri visus est ne id faceret ab eo quem sepultura adfecerat; si navigavisset eum naufragio esse periturum. itaque Simonidem[1] redisse, perisse ceteros qui tum navigassent.

Cic. *de div.* 1. 26. 56–27. 56.

---

[1] Observe the change to oblique statement.

11

eadem aestate in Hispania, cum biennio ferme nihil admodum memorabile factum esset, consiliisque magis quam armis bellum gereretur, Romani imperatores egressi hibernis copias coniunxerunt. ibi consilium advocatum, omniumque in unum congruerunt sententiae: quando ad id locorum id modo actum esset ut Hasdrubalem tendentem in Italiam retinerent, tempus esse id iam agi ut bellum in Hispania finiretur: et satis ad id virium credebant accessisse viginti milia Celtiberorum ea hieme ad arma excita. hostium tres exercitus erant. Hasdrubal Gisgonis filius et Mago coniunctis castris quinque ferme dierum iter ab Romanis aberant. propior erat Hamilcaris filius Hasdrubal, vetus in Hispania imperator: ad urbem nomine Amtorgim exercitum habebat. eum volebant prius opprimi duces Romani, et spes erat satis superque ad id virium esse; illa restabat cura, ne fuso eo perculsi alter Hasdrubal et Mago in avios saltus montesque recipientes sese bellum extraherent.

Liv. 25. 32. 1-6.

III

(*Trebatius is with Caesar in Gaul*, B.C. 54)

CICERO TREBATIO.

ego te commendare non desisto, sed quid proficiam ex te scire cupio. spem maximam habeo in Balbo, ad quem de te diligentissime et saepissime scribo. illud soleo mirari, non me toties accipere tuas litteras quoties a Quinto mihi fratre adferuntur. in Britannia nihil esse audio neque auri neque argenti. id si ita est, essedum aliquod capias suadeo et ad nos quam primum recurras. sin autem sine Britannia tamen adsequi quod volumus possumus, perfice ut sis in familiaribus Caesaris. multum te in eo frater adiuvabit meus, multum Balbus, sed, mihi crede, tuus pudor et labor plurimum. habes imperatorem liberalissimum, aetatem opportunissimam, commendationem certe singularem, ut tibi unum timendum sit, ne ipse tibi defuisse videare.

Cic. *fam.* 7. 7.

IV

Caesar ut Brundisium venit, contionatus apud milites, quoniam prope ad finem laborum ac periculorum esset perventum, aequo animo mancipia atque impedimenta in Italia relinquerent, ipsi expediti naves conscenderent, quo maior numerus militum posset imponi, omniaque ex victoria et ex sua liberalitate sperarent, conclamantibus omnibus imperaret quod vellet, quodcumque imperavisset se aequo animo esse facturos, pridie Non. Ian. naves solvit. postridie terram attigit. Cerauniorum inter saxa et alia loca periculosa quietam nactus stationem et portus omnes timens, quod teneri ab adversariis arbitrabatur, ad eum locum qui appellatur Palaeste omnibus navibus ad unam incolumibus milites exposuit.

expositis militibus naves eadem nocte Brundisium a Caesare remittuntur, ut reliquae legiones equitatusque transportari possent. huic officio praepositus erat Fufius Calenus legatus, qui celeritatem in transportandis legionibus adhiberet. sed serius a terra provectae naves neque usae nocturna aura in redeundo offenderunt. Bibulus enim Corcyrae certior factus de adventu Caesaris, sperans alicui se parti onustarum navium occurrere posse inanibus occurrit, et nactus circiter triginta in eas indiligentiae suae ac doloris iracundiam erupit omnesque incendit eodemque igni nautas dominosque navium interfecit magnitudine poenae reliquos posse deterreri sperans.

Caes. *bell. civ.* 3. 6, 8. 1-3.

V

(*Sempronius and his slave-soldiers*, B.C. 215.)

interim Ti. Sempronius consul Romanus Sinuessae, quo ad conveniendum diem edixerat, exercitu lustrato transgressus Vulturnum flumen circa Liternum posuit castra. ibi quia otiosa stativa erant, crebro decurrere milites cogebat, ut tirones—ea maxima pars volonum erant—adsuescerent signa sequi et in acie agnoscere ordines suos. inter quae maxima erat cura duci, itaque legatis tribunisque praeceperat, ne qua exprobratio cuiquam veteris fortunae discordiam inter ordines sereret: vetus miles tironi, liber voloni sese exaequari sineret; omnes satis honestos generososque ducerent quibus arma sua signaque populus Romanus commisisset; quae fortuna coegisset ita fieri, eandem cogere tueri factum. ea non maiore cura praecepta ab ducibus sunt quam a militibus observata, brevique tanta concordia coaluerant omnium animi, ut prope in oblivionem veniret qua ex condicione quisque esset miles factus.

Liv. 23. 35. 5-9.

VI

(*a*) quam me delectat Theramenes! quam elato animo est! etsi enim flemus cum legimus, tamen non miserabiliter vir clarus emoritur. qui cum coniectus in carcerem triginta iussu tyrannorum venenum ut sitiens obduxisset, reliquum sic e poculo eiecit ut id resonaret, quo sonitu reddito adridens "propino," inquit, "hoc pulcro Critiae," qui in eum fuerat taeterrimus. Graeci enim in conviviis solent nominare cui poculum traditituri sint. lusit vir egregius extremo spiritu, cum iam praecordiis conceptam mortem contineret, vereque ei cui venenum praebiberat mortem eam est auguratus quae brevi consecuta est. quis hanc maximi animi aequitatem in ipsa morte laudaret, si mortem malum iudicaret?

Cic. *Tusc. disp.* I. 40. 96 f.

(*b*) Piso ille Frugi semper contra legem frumentariam dixerat. is lege lata consularis ad frumentum accipiundum venerat. animum advertit Gracchus in contione Pisonem stantem; quaerit audiente populo Romano qui sibi constet cum ea lege frumentum petat quam dissuaserit. "nolim," inquit, "mea bona, Gracche, tibi viritim dividere libeat, sed, si facias, partem petam."

id. *ib.* 3. 20. 48.

VII

pugnatum est et acriter et diu; quattuor horis neutro inclinata est pugna. nec alia magis Romanum impediebat res quam capita hostium pretia libertatis facta. nam ut quisque hostem inpigre occiderat, primum capite aegre inter turbam tumultumque abscidendo terebat tempus; deinde occupata dextra tenendo caput fortissimus quisque pugnator esse desierat, segnibus ac timidis tradita pugna erat. quod ubi tribuni militum Graccho nuntiaverunt, neminem stantem iam vulnerari hostem, carnificari iacentes, et in dextris militum pro gladiis humana capita esse, signum dari propere iussit, proicerent capita invaderentque hostem. claram satis et insignem virtutem esse nec dubiam libertatem futuram strenuis viris. tum redintegrata pugna est et eques etiam in hostes emissus.

Liv. 24. 15. 3-6.

VIII

(45 B.C.)

CICERO CORNIFICIO SAL.

libentissime legi tuas litteras, in quibus iucundissimum mihi fuit quod cognovi meas tibi redditas esse. non enim dubitabam quin eas libenter lecturus esses: verebar ut redderentur. bellum quod est in Syria Syriamque provinciam tibi tributam esse a Caesare ex tuis litteris cognovi; eam rem tibi volo bene et feliciter evenire; quod ita fore confido fretus et industria et prudentia tua. sed de Parthici belli suspicione quod scribis, sane me commovit. quid enim copiarum haberes cum ipse coniectura consequi poteram tum ex tuis litteris cognovi; itaque opto ne se illa gens moveat hoc tempore, dum ad te legiones eae perducantur quas audio duci. . . . mihi quidem usque curae erit quid agas dum quid egeris sciero. litteras ad te nunquam habui cui darem quin dederim. a te ut idem facias peto, in primisque ut ita ad tuos scribas ut me tuum sciant esse.

Cic. *fam.* 12. 19.

IX

diebus circiter quindecim quibus in hiberna ventum est, initium repentini tumultus ac defectionis ortum est ab Ambiorige et Catuvolco; qui cum ad fines regni sui Sabino Cottaeque praesto fuissent, frumentumque in hiberna comportavissent, Indutiomari Treveri nuntiis impulsi suos concitaverunt subitoque oppressis lignatoribus magna manu ad castra oppugnanda venerunt. cum celeriter nostri arma cepissent vallumque adscendissent atque una ex parte Hispanis equitibus emissis equestri proelio superiores fuissent, desperata re hostes suos ab oppugnatione reduxerunt. tum suo more conclamaverunt, uti aliqui ex nostris ad colloquium prodirent: habere sese quae de re communi dicere vellent, quibus rebus controversias minui posse sperarent. mittitur ad eos C. Arpineius, eques Romanus, familiaris Q. Titurii, et Q. Junius ex Hispania quidam, qui iam ante missu Caesaris ad Ambiorigem ventitare consueverant. apud quos Ambiorix ad hunc modum locutus est: sese pro Caesaris in se beneficiis plurimum ei confiteri debere, quod eius opera stipendio liberatus esset quod Aduatucis, finitimis suis, pendere consuesset, quodque et filius et fratris filius a Caesare remissi essent, quos Aduatuci obsidum numero missos apud se in servitute et catenis tenuissent.

Caes. *bell. Gall.* 5. 26 f.

X

(*Continuation*)

neque id quod fecerit de oppugnatione castrorum aut iudicio aut voluntate sua fecisse, sed coactu civitatis, suaque esse eiusmodi imperia ut non minus haberet iuris in se multitudo quam ipse in multitudinem. civitati porro hanc fuisse belli causam, quod repentinae Gallorum coniurationi resistere non potuerit. id se facile ex humilitate sua probare posse, quod non adeo sit imperitus rerum ut suis copiis populum Romanum superari posse confidat. sed esse Galliae commune consilium: omnibus hibernis Caesaris oppugnandis hunc esse dictum diem, ne qua legio alteri legioni subsidio venire posset. non facile Gallos Gallis negare potuisse, praesertim cum de recuperanda communi libertate consilium initum videretur. quibus quoniam pro pietate satis fecerit, habere nunc se rationem officii pro beneficiis Caesaris: monere, orare Titurium pro hospitio ut suae ac militum saluti consulat. magnam manum Germanorum conductam Rhenum transisse; hanc adfore biduo: ipsorum esse consilium velintne prius quam finitimi sentiant eductos ex hibernis milites aut ad Ciceronem aut ad Labienum deducere, quorum alter milia passuum circiter quinquaginta alter paullo amplius ab eis absit. illud se polliceri et iure iurando confirmare, tutum se iter per suos fines daturum.

Caes. *bell. Gall.* 5. 27.

XI

nec alter consul Fabius, qui ad Cales castra habebat, Vulturnum flumen traducere audebat exercitum, occupatus primo auspiciis repetendis, dein prodigiis, quae alia super alia nuntiabantur, expiantique ea haud facile litari haruspices respondebant. eae causae cum Fabium tenerent, Sempronius in obsidione erat et iam operibus oppugnabatur. adversus ligneam ingentem admotam urbi turrem aliam ex ipso muro excitavit consul Romanus, aliquanto altiorem, quia muro satis per se alto subiectis validis sublicis pro solo usus erat. inde primum saxis sudibusque et ceteris missilibus propugnatores moenia atque urbem tuebantur; postremo ubi promovendo adiunctam muro viderunt turrem, facibus ardentibus plurimum simul ignem coniecerunt. quo incendio trepida armatorum multitudo cum de turre sese praecipitaret, eruptio ex oppido simul duabus portis stationes hostium fudit fugavitque in castra, ut eo die obsesso quam obsidenti similior esset Poenus. ad mille trecenti Carthaginiensium caesi et undesexaginta vivi capti, qui circa muros et in stationibus solute ac neglegenter agentes, cum nihil minus quam eruptionem timuissent, ex inproviso oppressi fuerant. Gracchus, priusquam se hostes ab repentino pavore colligerent, receptui signum dedit ac suos intra muros recepit. postero die Hannibal elatum secunda re consulem iusto proelio ratus certaturum, aciem inter castra atque urbem instruxit; ceterum postquam neminem moveri ab solita custodia urbis vidit, nec committi quicquam temerariae spei, ad Tifata redit infecta re.

Liv. 23. 36. 9–37. 9.

XII

(45 B.C.)

M. CICERO VATINIO IMP. S.

grata tibi mea esse officia non miror; cognovi enim te gratissimum omnium, idque numquam destiti praedicare; nec enim tu mihi habuisti modo gratiam, verum etiam cumulatissime rettulisti: quam ob rem in reliquis tuis rebus omnibus pari me studio erga te et eadem voluntate cognosces. quod mihi feminam primariam Pompeiam, uxorem tuam, commendas, cum Sura nostro statim tuis litteris lectis locutus sum, ut ei meis verbis diceret ut quicquid opus esset mihi denuntiaret; me omnia quae ea vellet summo studio curaque facturum. itaque faciam eamque, si opus esse videbitur, ipse conveniam. tu tamen ei velim scribas, ut nullam rem neque tam magnam neque tam parvam putet quae mihi aut difficilis aut parum me digna videatur: omnia quae in tuis rebus agam et non laboriosa mihi et honesta videbuntur.

Cic. *fam.* 5. 11. 11.

XIII

dum haec Romae atque in Italia geruntur, nuntius victoriae ad Cannas Carthaginem venerat Mago, Hamilcaris filius, non ex ipsa acie a fratre missus, sed retentus aliquot dies in recipiendis civitatibus Bruttiorum, quae deficiebant. is, cum ei senatus datus esset, res gestas in Italia a fratre exponit: cum sex imperatoribus eum, quorum quattuor consules, duo dictator ac magister equitum fuerint, cum sex consularibus exercitibus acie conflixisse; occidisse supra ducenta milia hostium, supra quinquaginta cepisse, bina castra expugnasse; ex quattuor consulibus duos occidisse, ex duobus saucium alterum, alterum toto amisso exercitu vix cum quinquaginta hominibus effugisse. magistrum equitum, quae consularis potestas sit, fusum fugatum; dictatorem, quia se in aciem nunquam commiserit, unicum haberi imperatorem. Bruttios Apulosque, partem Samnitium ac Lucanorum defecisse ad Poenos. Capuam, quod caput non Campaniae modo sed post adflictam rem Romanam Cannensi pugna Italiae sit, Hannibali se tradidisse. pro his tantis totque victoriis verum esse grates deis immortalibus agi haberique. ad fidem deinde tam laetarum rerum effundi in vestibulo curiae iussit anulos aureos, qui tantus acervus fuit ut metientibus supra tres modios explesse sint quidam auctores. fama tenuit, quae propior vero est, haud plus fuisse modio. adiecit deinde verbis, quo maioris cladis indicium esset, neminem nisi equitem, atque eorum ipsorum primores, id gerere insigne.

Liv. 23. 11. 7–12. 2.

XIV

nam Iugurtha, ut erat inpigro atque acri ingenio, ubi naturam P. Scipionis, qui tum Romanis imperator erat, et morem hostium cognovit, multo labore multaque cura, praeterea modestissume parendo et saepe obviam eundo periculis in tantam claritudinem brevi pervenerat, ut nostris vehementer carus, Numantinis maxumo terrori esset. ac sane, quod difficillumum in primis est, et proelio strenuus erat et bonus consilio, quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem adferre plerumque solet. . . . huc accedebat munificentia animi et ingeni sollertia, quis rebus sibi multos ex Romanis familiari amicitia coniunxerat.

ea tempestate in exercitu nostro fuere conplures novi atque nobiles, quibus divitiae bono honestoque potiores erant, factiosi domi, potentes apud socios, clari magis quam honesti, qui Iugurthae non mediocrem animum pollicitando accendebant, si Micipsa rex occidisset, fore uti solus imperi Numidiae potiretur: in ipso maxumam virtutem, Romae omnia venalia esse.

Sall. *Jug.* 7. 4-8. 1, omitting 7. 6.

XV

alterum ita traditum clarum admodum somnium: cum duo quidam Arcades familiares iter una facerent et Megaram venissent, alterum ad cauponem devertisse, ad hospitem alterum. qui ut cenati quiescerent, concubia nocte visum esse in somnis ei qui erat in hospitio illum alterum orare ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur; eum primo perterritum somnio surrexisse; dein cum se conlegisset idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse; tum ei dormienti eundem illum visum esse rogare ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur; se interfectum in plaustrum a caupone esse coniectum et supra stercus iniectum; petere ut mane ad portam adesset prius quam plaustrum ex oppido exiret. hoc vero eum somnio commotum mane bubulco praesto ad portam fuisse, quaesisse ex eo quid esset in plaustro; illum perterritum fugisse, mortuum erutum esse, cauponem re patefacta poenas dedisse.

Cic. *de div.* I. 27. 57.

XVI

(*Caesar in difficulties before Ilerda*, 49 B.C.)

his tum omnibus rebus annona crevit; quae fere res non solum inopia praesenti, sed etiam futuri temporis timore ingravescere consuevit. iamque ad denarios quinquaginta in singulos modios annona pervenerat, et militum vires inopia frumenti deminuerat, atque incommoda in dies augebantur: et tam paucis diebus magna erat rerum facta commutatio ac se Fortuna inclinaverat, ut nostri magna inopia necessariarum rerum conflictarentur, illi omnibus abundarent rebus superioresque haberentur. Caesar iis civitatibus quae ad eius amicitiam accesserant, quod minor erat frumenti copia, pecus imperabat; calones ad longinquiores civitates dimittebat; ipse praesentem inopiam quibus poterat subsidiis tutabatur.

haec Afranius Petreiusque et eorum amici pleniora etiam atque uberiora Romam ad suos perscribebant. multa rumor adfingebat, ut paene bellum confectum videretur. quibus litteris nuntiisque Romam perlatis magni domum concursus ad Afranium magnaeque gratulationes fiebant; multi ex Italia ad Cn. Pompeium proficiscebantur, alii ut principes talem nuntium attulisse, alii ne eventum belli exspectasse aut ex omnibus novissimi venisse viderentur.

Caes. *bell. civ.* I. 52 f.

XVII

(*Continuation*)

cum in his angustiis res esset atque omnes viae ab Afranianis militibus equitibusque obsiderentur nec pontes perfici possent, imperat militibus Caesar ut naves faciant cuius generis eum superioribus annis usus Britanniae docuerat. carinae ac prima statumina ex levi materia fiebant; reliquum corpus navium viminibus contextum coriis integebatur. has perfectas carris iunctis devehit noctu milia passuum a castris viginti duo militesque his navibus flumen transportat continentemque ripae collem improviso occupat. hunc celeriter, prius quam ab adversariis sentiatur, communit. huc legionem postea traicit atque ex utraque parte pontem institutum biduo perficit. ita commeatus et qui frumentandi causa processerant, tuto ad se recipit et rem frumentariam expedire incipit.

eodem die equitum magnam partem flumen traiecit. qui inopinantes pabulatores et sine ullo dissipatos timore adgressi magnum numerum iumentorum atque hominum intercipiunt cohortibusque cetratis subsidio missis scienter in duas partes sese distribuunt, alii ut praedae praesidio sint, alii ut venientibus resistant atque eos propellant, unamque cohortem quae temere ante ceteras extra aciem procurrerat seclusam ab reliquis circumveniunt atque interficiunt incolumesque cum magna praeda eodem ponte in castra revertuntur.

Caes. *bell. civ.* I. 54 f.

XVIII

Scipio castris hostium potitus, cum praeter libera capita omnem praedam militibus concessisset, in recensendis captivis decem milia peditum duo milia equitum invenit. ex iis Hispanos sine pretio omnes domum dimisit, Afros vendere quaestorem iussit. circumfusa inde multitudo Hispanorum et ante deditorum et pridie captorum, regem eum ingenti consensu appellavit. tum Scipio silentio per praeconem facto sibi maximum nomen imperatoris esse dixit, quo se milites sui appellassent; regium nomen alibi magnum Romae intolerabile esse. . . . cum Afros venderet iussu imperatoris quaestor, puerum adultum inter eos forma insigni cum audisset regii generis esse, ad Scipionem misit. quem cum percunctaretur Scipio quis et cuias et cur id aetatis in castris fuisset, Numidam esse se ait, Massivam populares vocare; orbum a patre relictum apud maternum avum Galam, regem Numidarum, educatum cum avunculo Masinissa, qui nuper cum equitatu subsidio Carthaginiensibus venisset, in Hispaniam traiecisse. prohibitum propter aetatem a Masinissa numquam ante proelium inisse: eo die se quo pugnatum cum Romanis esset inscio avunculo clam armis equoque sumpto in aciem exisse; ibi prolapso equo effusum in praeceps captum ab Romanis esse. Scipio cum adservari Numidam iussisset, quae pro tribunali agenda erant peragit; inde cum se in praetorium recepisset, vocatum eum interrogat velletne ad Masinissam reverti. cum effusis gaudio lacrimis cupere vero diceret, tum puero anulum aureum . . . equumque ornatum donat, iussisque prosequi quoad vellet equitibus dimisit.

Liv. 27. 19. 2-4. 8-12.

XIX

(*a*) quae barbaria India vastior aut agrestior? in ea tamen gente primum ei qui sapientes habentur nudi aetatem agunt et Caucasi nives hiemalemque vim perferunt sine dolore, cumque ad flammam se adplicaverunt, sine gemitu aduruntur. mulieres vero in India, cum est communis earum vir mortuus, in certamen iudiciumque veniunt quam plurimum ille dilexerit (plures enim singulis solent esse nuptae). quae est victrix, ea laeta prosequentibus suis una cum viro in rogum imponitur, illa victa maesta discedit.

Cic. *Tusc. disp.* 5. 27. 77 f.

(*b*) in surditate vero quidnam est mali? erat surdaster M. Crassus, sed aliud molestius, quod male audiebat, etiamsi, ut mihi videbatur, iniuria. nostri Graece fere nesciunt, nec Graeci Latine. ergo hi in illorum et illi in horum sermone surdi, omnesque item nos in iis linguis quas non intellegimus, quae sunt innumerabiles, surdi profecto sumus. at vocem citharoedi non audiunt. ne stridorem quidem serrae tum cum acuitur, aut grunnitum, cum iugulatur, suis, nec cum quiescere volunt fremitum murmurantis maris.

id. *ib.* 5. 40. 116.

XX

post acceptam proxima pugna cladem Veientes abstinuere acie; populationes erant, et velut ab arce Ianiculo passim in Romanum agrum impetus dabant; non usquam pecora tuta, non agrestes erant. capti deinde eadem arte sunt qua ceperant Fabios. secuti dedita opera passim ad inlecebras propulsa pecora praecipitavere in insidias. quo plures erant, maior caedes fuit. ex hac clade atrox ira maioris cladis causa atque initium fuit. traiecto enim nocte Tiberi castra Servili consulis adorti sunt oppugnare. inde fusi magna caede in Ianiculum se aegre recepere. confestim consul et ipse transit Tiberim, castra sub Ianiculo communit. postero die luce orta nonnihil et hesterna felicitate pugnae ferox, magis tamen quod inopia frumenti quamvis in praecipitia, dum celeriora essent, agebat consilia, temere adverso Ianiculo ad castra hostium aciem erexit, foediusque inde pulsus quam pridie pepulerat, interventu conlegae ipse exercitusque est servatus. inter duas acies Etrusci, cum in vicem his atque illis terga darent, occidione occisi. ita oppressum temeritate felici Veiens bellum.

Liv. 2. 51. 4-9.

XXI

(51 B.C.)

M. TULLIUS M. F. CICERO PROCOS. S. D. COS. PR. TR. PL. SENATUI.

S.V.V.B.E.E.Q.V. cum pridie Kal. Sext. in provinciam venissem neque maturius propter itinerum et navigationum difficultatem venire potuissem, maxime convenire officio meo reique publicae conducere putavi parare ea quae ad exercitum quaeque ad rem militarem pertinerent. quae cum essent a me cura magis et diligentia quam facultate et copia constituta nuntiique et litterae de bello a Parthis in provinciam Syriam illato cotidie fere adferrentur, iter mihi faciendum per Lycaoniam et per Isauros et per Cappadociam arbitratus sum. erat enim magna suspicio Parthos, si ex Syria egredi atque irrumpere in meam provinciam conarentur, iter per Cappadociam, quod ea maxime pateret, esse facturos. itaque cum exercitu per Cappadociae partem eam quae cum Cilicia continens est iter feci castraque ad Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, locavi, ut Artavasdes, rex Armenius, quocumque animo esset, sciret non procul a suis finibus exercitum populi Romani esse, et Deiotarum, fidelissimum regem atque amicissimum rei publicae nostrae, maxime coniunctum haberem, cuius et consilio et opibus adiuvari posset res publica.

Cic. *fam.* 15. 2. 1 f.

XXII

(Before the Battle of Pydna)

castris permunitis C. Sulpicius Gallus, tribunus militum secundae legionis, qui praetor superiore anno fuerat, consulis permissu ad contionem militibus vocatis, pronuntiavit nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora secunda usque ad quartam horam noctis lunam defecturam esse. id quia naturali ordine statis temporibus fiat, et sciri ante et praedici posse. itaque quem ad modum quia certi solis lunaeque et ortus et occasus sint, nunc pleno orbe nunc senescentem exiguo cornu fulgere lunam non mirarentur, ita ne obscurari quidem cum condatur umbra terrae trahere in prodigium debere. nocte quam pridie nonas Septembres insecuta est dies edita hora cum luna defecisset, Romanis militibus Galli sapientia prope divina videri. Macedonas ut triste prodigium occasum regni perniciemque gentis portendens movit; nec aliter vates. clamor ululatusque in castris Macedonum fuit, donec luna in suam lucem emersit.

Liv. 44. 37. 5-9.

XXIII

sedebat in rostris conlega tuus amictus toga purpurea in sella aurea coronatus. escendis, accedis ad sellam (ita eras Lupercus ut te consulem esse meminisse deberes), diadema ostendis. gemitus toto foro. unde diadema? non enim abiectum sustuleras, sed adtuleras domo meditatum et cogitatum scelus. tu diadema inponebas cum plangore populi, ille cum plausu reiciebat. tu ergo unus, scelerate, inventus es qui, cum auctor regni esses eumque quem collegam habebas dominum habere velles, idem temptares quid populus Romanus ferre et pati posset. at etiam misericordiam captabas; supplex te ad pedes abiciebas, quid petens? ut servires? tibi uni peteres, qui ita a puero vixeras ut omnia paterere, ut facile servires; a nobis populoque Romano mandatum id certe non habebas. . . . vereor ne imminuam summorum virorum gloriam; dicam tamen dolore commotus: quid indignius quam vivere eum qui inposuerit diadema, cum omnes fateantur iure interfectum esse qui abiecerit?

Cic. *Phil.* 2. 34. 85 f.

XXIV

C. PLINIUS TACITO SUO S.

petis ut tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris possis. gratias ago: nam video morti eius si celebretur a te inmortalem gloriam esse propositam. quamvis enim pulcherrimarum clade terrarum ut populi ut urbes memorabili casu quasi semper victurus occiderit, quamvis ipse plurima opera et mansura condiderit, multum tamen perpetuitati eius scriptorum tuorum aeternitas addet. equidem beatos puto quibus deorum munere datum est aut facere scribenda aut scribere legenda, beatissimos vero quibus utrumque. horum in numero avunculus meus et suis libris et tuis erit. quo libentius suscipio, deposco etiam quod iniungis. erat Miseni classemque imperio praesens regebat. nonum Kal. Septembres hora fere septima mater mea indicat ei apparere nubem inusitata et magnitudine et specie. usus ille sole, mox frigida, gustaverat iacens studebatque: poscit soleas, ascendit locum ex quo maxime miraculum illud conspici poterat. nubes incertum procul intuentibus ex quo monte (Vesuvium fuisse postea cognitum est) oriebatur, cuius similitudinem et formam non alia magis arbor quam pinus expresserit. nam longissimo velut trunco elata in altum quibusdam ramis diffundebatur, credo quia recenti spiritu evecta dein senescente eo destituta, aut etiam pondere suo victa, in latitudinem vanescebat: candida interdum, interdum sordida et maculosa prout terram cineremve sustulerat.

Plin. *ep.* 6. 16. 1-6.

XXV

(*Continuation*)

magnum propiusque noscendum ut eruditissimo viro visum. iubet Liburnicam aptari: mihi si venire una vellem facit copiam. respondi studere me malle; et forte ipse quod scriberem dederat. egrediebatur domo: accipit codicillos Rectinae Bassi inminenti periculo exterritae (nam villa eius subiacebat, nec ulla nisi navibus fuga): ut se tanto discrimini eriperet orabat. vertit ille consilium et quod studioso animo inchoaverat obit maximo. deducit quadriremes, ascendit ipse, non Rectinae modo sed multis (erat enim frequens amoenitas orae) laturus auxilium. properat illuc unde alii fugiunt rectumque cursum, recta gubernacula in periculum tenet, adeo solutus metu ut omnis illius mali motus, omnis figuras ut deprenderat oculis dictaret enotaretque. iam navibus cinis incidebat, quo propius accederent calidior et densior, iam pumices etiam nigrique et ambusti et fracti igne lapides, iam vadum subitum ruinaque montis litora obstantia. cunctatus paulum an retro flecteret, mox gubernatori ut ita faceret monenti 'fortes' inquit 'fortuna iuvat: Pomponianum pete.' Stabiis erat diremptus sinu medio; nam sensim circumactis curvatisque litoribus mare infunditur. ibi, quamquam nondum periculo adpropinquante conspicuo tamen et, cum cresceret, proximo, sarcinas contulerat in naves, certus fugae si contrarius ventus resedisset. quo tunc avunculus meus secundissimo invectus conplectitur trepidantem consolatur hortatur, utque timorem eius sua securitate leniret, deferri in balineum iubet.

id. *ib.* 6. 16. 7-12.

XXVI

(Continuation)

lotus accubat, cenat aut hilaris aut, quod est aeque magnum, similis hilari. . . . tum se quieti dedit et quievit verissimo quidem somno. nam meatus animae, qui illi propter amplitudinem corporis gravior et sonantior erat, ab iis qui limini obversabantur audiebatur. sed area ex qua diaeta adibatur ita iam cinere mixtisque pumicibus oppleta surrexerat ut, si longior in cubiculo mora, exitus negaretur. excitatus procedit seque Pomponiano ceterisque qui pervigilaverant reddit. in commune consultant, intra tecta subsistant an in aperto vagentur. nam crebris vastisque tremoribus tecta nutabant et quasi emota sedibus suis nunc huc nunc illuc abire aut referri videbantur. sub dio rursus quamquam levium exesorumque pumicum casus metuebatur; quod tamen periculorum collatio elegit. . . . cervicalia capitibus inposita linteis constringunt: id munimentum adversus incidentia fuit. iam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior densiorque; quam tamen faces multae variaque lumina solabantur. placuit egredi in litus et ex proximo aspicere ecquid iam mare admitteret. quod adhuc vastum et adversum permanebat. ibi super abiectum linteum recubans semel atque iterum frigidam aquam poposcit hausitque. deinde flammae flammarumque praenuntius odor sulpuris alios in fugam vertunt, excitant illum. innitens servolis duobus adsurrexit, et statim concidit, ut ego colligo, crassiore caligine spiritu obstructo.

Plin *ep.* 6. 16. 12-19.

XXVII

apud Agathoclem scriptum in historia est Hamilcarem Karthaginiensem, cum oppugnaret Syracusas, visum esse audire vocem, se postridie cenaturum Syracusis. cum autem is dies inluxisset, magnam seditionem in castris eius inter Poenos et Siculos milites esse factam; quod cum sensissent Syracusani, inproviso eos in castra inrupisse, Hamilcaremque ab iis vivum esse sublatum. ita res somnium conprobavit. plena exemplorum est historia, tum referta vita communis. at vero P. Decius ille Q. F. qui primus e Deciis consul fuit, cum esset tribunus militum M. Valerio A. Cornelio consulibus a Samnitibusque premeretur noster exercitus, cum pericula praeliorum iniret audacius monereturque ut cautior esset, dixit, quod exstat in annalibus, se sibi in somnis visum esse, cum in mediis hostibus versaretur, occidere cum maxuma gloria. et tum quidem incolumis exercitum obsidione liberavit; post triennium autem, cum consul esset, devovit se et in aciem Latinorum inrupit armatus. quo eius facto superati sunt et deleti Latini. cuius mors ita gloriosa fuit ut eandem concupisceret filius.

Cic. *de. div.* 1, 24. 50 f.

XXVIII

post tanti prodigii procurationem eodem anno de Hernicis consultus senatus cum fetiales ad res repetendas nequiquam misisset, primo quoque die ferendum ad populum de bello indicendo Hernicis censuit, populusque id bellum frequens iussit. L. Genucio consuli ea provincia sorte evenit. in expectatione civitas erat, quod primus ille de plebe consul bellum suis auspiciis gesturus esset, perinde ut evenisset res ita communicatos honores pro bene aut secus consulto habitura. forte ita tulit casus ut Genucius ad hostes magno conatu profectus in insidias praecipitaret et legionibus necopinato pavore fusis consul circumventus ab insciis quem intercepissent occideretur. quod ubi est Romam nuntiatum, nequaquam tantum publica calamitate maesti patres quantum feroces infelici consulis plebei ductu, fremunt omnibus locis: irent crearent consules ex plebe, transferrent auspicia quo nefas esset. potuisse patres plebi scito pelli honoribus suis; num etiam in deos immortales inauspicatam legem valuisse? vindicasse ipsos suum numen sua auspicia, quae ut primum contacta sint ab eo a quo nec ius nec fas fuerit, deletum cum duce exercitum documento fuisse ne deinde turbato gentium iure comitia haberentur. his vocibus curia et forum personat.

Liv. 7. 6. 7-12.

XXIX

vere me hercule hoc dicam: sic tum existimabam, nihil homines aliud Romae nisi de quaestura mea loqui. frumenti in summa caritate maximum numerum miseram: negotiatoribus comis, mercatoribus iustus, mancipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus eram visus in omni officio diligentissimus; excogitati quidam erant a Siculis honores in me inauditi: itaque hac spe decedebam, ut mihi populum Romanum ultro omnia delaturum putarem. at ego cum casu diebus eis itineris faciendi causa decedens e provincia Puteolos forte venissem, cum plurimi et lautissimi in eis locis solent esse, concidi paene, iudices, cum ex me quidam quaesisset quo die Roma exissem et num quidnam esset novi. cui cum respondissem me e provincia decedere, "etiam mehercule" inquit, "ut opinor, ex Africa." huic ego iam stomachans fastidiose "immo ex Sicilia" inquam. tum quidam, quasi qui omnia sciret: "quid? tu nescis" inquit "hunc quaestorem Syracusis fuisse?" quid multa? destiti stomachari et me unum ex eis feci qui ad aquas venissent. sed ea res, iudices, haud scio an plus mihi profuerit quam si mihi tum essent omnes gratulati: nam postea quam sensi populi Romani auris hebetiores, oculos autem esse acris atque acutos, destiti quid de me audituri essent homines cogitare; feci ut postea cottidie praesentem me viderent.

Cic. *pro Planc.* 26. 64–27. 66.

XXX

(*Two of those that have killed King Hieronymus return to Syracuse*)

hexapylo Theodotus ac Sosis post solis occasum iam obscura luce invecti cum cruentam regiam vestem atque insigne capitis ostentarent, travecti per Tycham simul ad libertatem simul ad arma vocantes in Achradinam convenire iubent. multitudo pars procurrit in vias, pars in vestibulis stat, pars ex tectis fenestrisque prospectant et quid rei sit rogitant. omnia luminibus conlucent strepituque vario conplentur. armati locis patentibus congregantur; inermes ex Olympii Iovis templo spolia Gallorum Illyriorumque, dono data Hieroni a populo Romano fixaque ab eo, detrahunt precantes Iovem ut volens propitius praebeat sacra arma pro patria, pro deum delubris, pro libertate sese armantibus. . . . luce prima populus omnis, armatus inermisque, in Achradinam ad curiam convenit. ibi pro Concordiae ara, quae in eo sita loco erat, ex principibus unus nomine Polyaenus contionem et liberam et moderatam habuit; servitutis formidines indignitatesque homines expertos adversus notum malum inritatos esse; discordia civilis quas inportet clades, audisse magis a patribus Syracusanos quam ipsos vidisse. arma quod inpigre ceperint laudare, magis laudaturum si non utantur nisi ultima necessitate coacti. in praesentia legatos ad Adranodorum mitti placere, qui denuntient ut in potestate senatus ac populi sit, portas Insulae aperiat, reddat praesidium. si tutelam alieni regni suum regnum velit facere, eundem se censere multo acrius ab Adranodoro quam ab Hieronymo repeti libertatem.

Liv. 24. 21. 7-10, 22. 1-5.

XXXI

(Advantages accruing from the possession of Sicily)

quid? illa quae forsitan ne sentiamus quidem, iudices, quanta sunt! quod multis locupletioribus civibus utimur, quod habent propinquam fidelem fructuosamque provinciam quo facile excurrant, ubi libenter negotium gerant; quos illa partim mercibus suppeditandis cum quaestu compendioque dimittit, partim retinet ut arare, ut pascere, ut negotiari libeat, ut denique sedes ac domicilium collocare. quod commodum non mediocre rei publicae est, tantum civium numerum tam prope ab domo tam bonis fructuosisque rebus detineri. et quoniam quasi quaedam praedia populi Romani sunt vectigalia nostra atque provinciae, quem ad modum propinquis vos vestris praediis maxime delectamini, sic populo Romano iucunda suburbanitas est huiusce provinciae. iam vero hominum ipsorum, iudices, ea patientia, virtus, frugalitasque est ut proxime ad nostram disciplinam illam veterem, non ad hanc quae nunc increbruit, videantur accedere; nihil ceterorum simile Graecorum, nulla desidia, nulla luxuries, contra summus labor in publicis privatisque rebus, summa parsimonia, summa diligentia. sic porro nostros homines diligunt ut his solis neque publicanus neque negotiator odio sit.

Cic. *Verr.* ii. 2. 3. 6 f.

XXXII

hi [*sc.* Druides] certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, considunt in loco consecrato. huc omnes undique qui controversias habent conveniunt eorumque decretis iudiciisque parent. disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur et nunc qui diligentius eam rem cognoscere volunt plerumque illo discendi causa proficiscuntur. Druides a bello abesse consuerunt neque tributa una cum reliquis pendunt, omniumque rerum habent immunitatem. tantis excitati praemiis et sua sponte multi in disciplinam conveniunt et a parentibus propinquisque mittuntur. magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. itaque annos nonnulli vicenos in disciplina permanent. neque fas esse existimant ea litteris mandare, cum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, Graecis litteris utantur. id mihi duabus de causis instituisse videntur, quod neque in vulgum disciplinam efferri velint neque eos qui discunt litteris confisos minus memoriae studere. quod fere plerisque accidit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. in primis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant metu mortis neglecto.

Caes. *bell. Gall.* 6. 13 f.

XXXIII

audivi equidem ex te ipso, sed mihi saepius noster Sallustius narravit, cum in illa fuga nobis gloriosa patriae calamitosa in villa quadam campi Atinatis maneres, magnamque partem noctis vigilasses, ad lucem denique arte et graviter dormire te coepisse; itaque quamquam iter instaret, tamen silentium fieri iussisse se neque esse passum te excitari; cum autem experrectus esses hora secunda fere, te sibi somnium narravisse: visum tibi esse, cum in locis solis maestus errares, C. Marium cum fascibus laureatis quaerere ex te quid tristis esses, cumque tu te patria vi pulsum esse dixisses, prehendisse eum dextram tuam et bono animo te iussisse esse lictorique proxumo tradidisse, ut te in monumentum suum deduceret, et dixisse in eo tibi salutem fore. tum et se exclamasse Sallustius narrat reditum tibi celerem et gloriosum paratum et te ipsum visum somnio delectari. nam illud mihi ipsi celeriter nuntiatum est, ut audivisses in monumento Marii de tuo reditu magnificentissumum illud senatus consultum esse factum referente optumo et clarissumo viro consule, idque frequentissimo theatro incredibili clamore et plausu comprobatum, dixisse te nihil illo Atinati somnio fieri posse divinius.

Cic. *de div.* I. 28. 59.

XXXIV

(Lucius Manlius Imperiosus has been impeached.)

criminique ei tribunus inter cetera dabat quod filium iuvenem, nullius probri conpertum, extorrem urbe, domo, penatibus, foro, luce, congressu aequalium prohibitum, in opus servile, prope in carcerem atque in ergastulum dederit, ubi summo loco natus dictatorius iuvenis cotidiana miseria disceret vere imperioso patre se natum esse. at quam ob noxam? quia infacundior sit et lingua inpromptus. quod naturae damnum utrum nutriendum patri, si quidquam in eo humani esset, an castigandum ac vexatione insigne faciendum fuisse? ne mutas quidem bestias minus alere ac fovere si quid ex progenie sua parum prosperum sit. at hercule L. Manlium malum malo augere filii et tarditatem ingenii insuper premere, et, si quid in eo exiguum naturalis vigoris sit, id extinguere vita agresti et rustico cultu inter pecudes habendo. omnium potius his criminationibus quam ipsius iuvenis inritatus est animus; quin contra se quoque parenti causam invidiae atque criminum esse aegre passus, ut omnes di hominesque scirent se parenti opem latam quam inimicis eius malle, capit consilium rudis quidem atque agrestis animi, sed quamquam non civilis exempli tamen pietate laudabile.

Liv. 7. 4. 4–5. 2.

XXXV

(*Continuation*)

inscientibus cunctis cultro succinctus mane in urbem atque a porta domum confestim ad M. Pomponium tribunum pergit; ianitori opus esse sibi domino eius convento extemplo ait: nuntiaret T. Manlium L. f. esse. mox introductus—etenim percitum ira in patrem spes erat aut criminis aliquid novi aut consilii ad rem agendam deferre—salute accepta redditaque, esse ait quae cum eo agere arbitris remotis velit. procul inde omnibus abire iussis cultrum stringit et super lectum stans ferro intento, nisi in quae ipse concepisset verba iuraret se patris eius accusandi causa concilium plebis numquam habiturum, se eum extemplo transfixurum minatur. pavidus tribunus, quippe qui ferrum ante oculos micare, se solum inermem, illum praevalidum iuvenem et, quod haud minus timendum erat, stolide ferocem viribus suis cerneret, adiurat in quae adactus est verba. et prae se deinde tulit ea vi subactum se incepto destitisse.

id. 7. 5. 3-6.

XXXVI

(*a*) sed quid duces et principes nominem, cum legiones scribat Cato saepe alacris in eum locum profectas unde redituras se non arbitrarentur? pari animo Lacedaemonii in Thermopylis occiderunt, in quos Simonides:

> dic, hospes, Spartae nos te hic vidisse iacentis,
> dum sanctis patriae legibus obsequimur.

e quibus unus, cum Perses hostis in conloquio dixisset glorians: "solem prae iaculorum multitudine et sagittarum non videbitis," "in umbra igitur," inquit, "pugnabimus." viros commemoro; qualis tandem Lacaena, quae cum filium in proelium misisset et interfectum audisset, "idcirco," inquit, "genueram, ut esset qui pro patria mortem non dubitaret occumbere"?

Cic. *Tusc. disp.* I. 42. 101 f.

(*b*) constabat eos qui concidentem volneribus Cn. Pompeium vidissent, cum in illo ipso acerbissimo miserrimoque spectaculo sibi timerent, quod se classe hostium circumfusos viderent, nihil aliud tum egisse nisi ut remiges hortarentur et ut salutem adipiscerentur fuga; posteaquam Tyrum venissent, tum adflictari lamentarique coepisse. timor igitur ab his aegritudinem potuit repellere, ratio ab sapienti viro non poterit?

id. *ib.* 3. 27. 66.

XXXVII

Brutus illis luctu occupatis cultrum ex volnere Lucretiae extractum manantem cruore prae se tenens "per hunc" inquit "castissimum ante regiam iniuriam sanguinem iuro vosque, dii, testes facio me L. Tarquinium Superbum cum scelerata coniuge et omni liberorum stirpe ferro, igni, quacumque denique vi possim, exacturum nec illos nec alium quemquam regnare Romae passurum." cultrum deinde Conlatino tradit, inde Lucretio ac Valerio, stupentibus miraculo rei, unde novum in Bruti pectore ingenium. ut praeceptum erat iurant, totique ab luctu versi in iram, Brutum iam inde ad expugnandum regnum vocantem sequuntur ducem. elatum domo Lucretiae corpus in forum deferunt concientque miraculo, ut fit, rei novae atque indignitate homines. pro se quisque scelus regium ac vim queruntur. movet cum patris maestitia tum Brutus castigator lacrimarum atque inertium querellarum auctorque, quod viros quod Romanos deceret, arma capiendi adversus hostilia ausos. ferocissimus quisque iuvenum cum armis voluntarius adest; sequitur et cetera iuventus. inde parte praesidio relicta Collatiae custodibusque ad portas locatis, ne quis eum motum regibus nuntiaret, ceteri armati duce Bruto Romam profecti.

Liv. I. 59. 1-5.

XXXVIII

sollemne est mihi, domine, omnia de quibus dubito ad te referre. quis enim potest melius vel cunctationem meam regere vel ignorantiam extruere? cognitionibus de Christianis interfui nunquam: ideo nescio quid et quatenus aut puniri soleat aut quaeri. nec mediocriter haesitavi sitne aliquod discrimen aetatum, an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant; detur paenitentiae venia, an ei qui omnino Christianus fuit desisse non prosit; nomen ipsum si flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur. interim in iis qui ad me tanquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. interrogavi ipsos an essent Christiani. confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci iussi. neque enim dubitabam qualecumque esset quod faterentur, pertinaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri.

Plin. *epp. ad Trai.* 96. 1-3.

XXXIX

atque ante quam de incommodis Siciliae dico, pauca mihi videntur esse de provinciae dignitate, vetustate, utilitate dicenda. nam cum omnium sociorum provinciarumque rationem diligenter habere debetis, tum praecipue Siciliae, iudices, plurimis iustissimisque de causis; primum quod omnium nationum exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam fidemque populi Romani applicavit. prima omnium, id quod ornamentum imperii est, provincia est appellata, prima docuit maiores nostros quam praeclarum esset exteris gentibus imperare, sola fuit ea fide benevolentiaque erga populum Romanum ut civitates eius insulae quae semel in amicitiam nostram venissent, numquam postea deficerent, pleraeque autem et maxime illustres in amicitia perpetuo manerent. itaque maioribus nostris in Africam ex hac provincia gradus imperii factus est. neque enim tam facile opes Carthaginis tantae concidissent nisi illud et rei frumentariae subsidium et receptaculum classibus nostris pateret. quare P. Africanus Carthagine deleta Siculorum urbes signis monumentisque pulcherrimis exornavit, ut quos victoria populi Romani maxime laetari arbitrabatur, apud eos monumenta victoriae plurima collocaret. denique ille ipse M. Marcellus, cuius in Sicilia virtutem hostes, misericordiam victi, fidem ceteri Siculi perspexerunt, non solum sociis in eo bello consuluit, verum etiam superatis hostibus temperavit. urbem pulcherrimam Syracusas, quae cum manu munitissima esset tum loci natura terra ac mari clauderetur, cum vi consilioque cepisset, non solum incolumem passus est esse, sed ita reliquit ornatam ut esset idem monumentum victoriae, mansuetudinis, continentiae, cum homines viderent et quid expugnasset et quibus pepercisset et quae reliquisset.

 Cic. *Verr.* ii. 2. 1. 2–2. 4.

XL

obsidio erat nihilo minus et frumenti cum summa caritate inopia, sedendoque expugnaturum se urbem spem Porsinna habebat, cum C. Mucius, adulescens nobilis, cui indignum videbatur populum Romanum servientem, cum sub regibus esset, nullo bello nec ab hostibus ullis obsessum esse, liberum eundem populum ab iisdem Etruscis obsideri quorum saepe exercitus fuderit, magno audacique aliquo facinore eam indignitatem vindicandam ratus, primo sua sponte penetrare in hostium castra constituit; dein metuens ne, si consulum iniussu et ignaris omnibus iret, forte deprehensus a custodibus Romanis retraheretur ut transfuga, fortuna tum urbis crimen adfirmante, senatum adit. "transire Tiberim" inquit, "patres, et intrare, si possim, castra hostium volo, non praedo nec populationum in vicem ultor: maius, si di iuvant, in animo est facinus." adprobant patres. abdito intra vestem ferro proficiscitur. ubi eo venit, in confertissima turba prope regium tribunal constitit. ibi cum stipendium militibus forte daretur, et scriba cum rege sedens pari fere ornatu multa ageret, eumque milites vulgo adirent, timens sciscitari uter Porsinna esset, ne ignorando regem semet ipse aperiret quis esset, quo temere traxit fortuna facinus, scribam pro rege obtruncat.

Liv. 2. 12. 1-7.

XLI

(Continuation)

vadentem inde qua per trepidam turbam cruento mucrone sibi ipse fecerat viam, cum concursu ad clamorem facto conprehensum regii satellites retraxissent, ante tribunal regis destitutus, tum quoque inter tantas fortunae minas metuendus magis quam metuens, "Romanus sum" inquit "civis; C. Mucium vocant. hostis hostem occidere volui, nec ad mortem minus animi est quam fuit ad caedem: et facere et pati fortia Romanum est. nec unus in te ego hos animos gessi; longus post me ordo est idem petentium decus. proinde in hoc discrimen, si iuvat, accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo, ferrum hostemque in vestibulo habeas regiae. hoc tibi iuventus Romana indicimus bellum. nullam aciem, nullum proelium timueris; uni tibi et cum singulis res erit." cum rex simul ira incensus periculoque conterritus circumdari ignes minitabundus iuberet, nisi expromeret propere quas insidiarum sibi minas per ambages iaceret, "en tibi," inquit "ut sentias quam vile corpus sit iis qui magnam gloriam vident," dextramque accenso ad sacrificium foculo inicit. quam cum velut alienato ab sensu torreret animo, prope attonitus miraculo rex cum ab sede sua prosiluisset amoverique ab altaribus iuvenem iussisset, "tu vero abi" inquit "in te magis quam in me hostilia ausus. iuberem macte virtute esse si pro mea patria ista virtus staret. nunc iure belli liberum te intactum inviolatumque hinc dimitto."

Liv. 2. 12. 8-14.

XLII

inventi autem multi sunt qui non modo pecuniam sed etiam vitam profundere pro patria parati essent, idem gloriae iacturam ne minimam quidem facere vellent, ne re publica quidem postulante; ut Callicratidas, qui, cum Lacedaemoniorum dux fuisset Peloponnesiaco bello multaque fecisset egregie, vertit ad extremum omnia, cum consilio non paruit eorum qui classem ab Arginusis removendam nec cum Atheniensibus dimicandum putabant. quibus ille respondit Lacedaemonios classe illa amissa aliam parare posse, se fugere sine suo dedecore non posse. atque haec quidem Lacedaemoniis plaga mediocris, illa pestifera qua, cum Cleombrotus invidiam timens temere cum Epaminonda conflixisset, Lacedaemoniorum opes corruerunt. quanto Q. Maximus melius! de quo Ennius

unus homo nobis cunctando restituit rem.
noenum rumores ponebat ante salutem;
ergo postque magisque viri nunc gloria claret.

quod genus peccandi vitandum est etiam in rebus urbanis. sunt enim qui quod sentiunt, etsi optimum sit, tamen invidiae metu non audeant dicere.

Cic. *de off.* I. 24. 84.

XLIII

Hasdrubal tum forte cum haec gerebantur apud Syphacem erat; qui Numidae, haud sane multum ad se pertinere credenti utrum penes Lacumazen an Masinissam regnum Maesuliorum esset, falli eum magnopere ait si Masinissam eisdem contentum fore quibus patrem Galam aut patruum eius Oezalcen credat: multo maiorem indolem in eo animi ingeniique esse quam in ullo gentis eius umquam fuisset; saepe eum in Hispania rarae inter homines virtutis specimen dedisse sociis pariter hostibusque. et Syphacem et Carthaginienses, nisi orientem illum ignem oppressissent, ingenti mox incendio, cum iam nullam opem ferre possent, arsuros. instando stimulandoque pervincit ut exercitum ad fines Maesuliorum admoveat, atque in agro de quo saepe cum Gala non verbis modo disceptatum sed etiam armis certatum fuerat, tamquam haud dubie iuris sui, castra locet: si quis arceat, quod maxime opus sit, acie dimicaturum; sin per metum agro cedatur, in medium regnum eundum; aut sine certamine concessuros in dicionem eius Maesulios, aut nequaquam pares futuros armis.

Liv. 29. 31. 1-6.

XLIV

(46 B.C.)

M. CICERO S. D. P. SULPICIO IMPERATORI.

cum his temporibus non sane in senatum ventitarem, tamen, ut tuas litteras legi, non existimavi me salvo iure nostrae veteris amicitiae multorumque inter nos officiorum facere posse ut honori tuo deessem; itaque adfui supplicationemque tibi libenter decrevi, nec reliquo tempore ullo aut rei aut existimationi aut dignitati tuae deero. atque hoc ut tui necessarii sciant, hoc me animo erga te esse, velim facias eos per litteras certiores ut si quid tibi opus sit ne dubitent mihi iure suo denuntiare. M. Bolanum, virum bonum et fortem et omnibus rebus ornatum meumque veterem amicum, tibi magno opere commendo. pergratum mihi feceris si curaris ut is intellegat hanc commendationem sibi magno adiumento fuisse, ipsumque virum optimum gratissimumque cognosces: promitto tibi te ex eius amicitia magnam voluptatem esse capturum. praeterea a te peto in maiorem modum pro nostra amicitia et pro tuo perpetuo in me studio, ut in hac re etiam elabores: Dionysius servus meus, qui meam bibliothecen multorum nummorum tractavit, cum multos libros surripuisset nec se inpune laturum putaret, aufugit. is est in provincia tua: eum et M. Bolanus, meus familiaris, et multi alii Naronae viderunt, sed cum se a me manumissum esse diceret, crediderunt: hunc tu si mihi restituendum curaris, non possum dicere quam mihi gratum futurum sit.

Cic. *fam.* 13. 77. 1-3.

XLV

eo anno rex Prusia venit Romam cum filio Nicomede. is magno comitatu urbem ingressus ad forum a porta tribunalque Q. Cassi praetoris perrexit, concursuque undique facto, deos qui urbem Romam incolerent senatumque et populum Romanum salutatum se dixit venisse, et gratulatum, quod Persea Gentiumque reges vicissent, Macedonibusque et Illyriis in dicionem redactis auxissent imperium. cum praetor senatum ei, si velit, eo die daturum dixisset, biduum petiit quo templa deum urbemque et hospites amicosque viseret. tertio post die senatum adiit; gratulatus victoriam est; merita sua in eo bello commemoravit; petiit ut votum sibi solvere, Romae in Capitolio decem maiores hostias et Praeneste unam Fortunae, liceret—ea vota pro victoria populi Romani esse,—et ut societas secum renovaretur agerque sibi de rege Antiocho captus quem nulli datum a populo Romano Galli possiderent, daretur. filium postremo Nicomedem senatui commendavit. omnium qui in Macedonia imperatores fuerant favore est adiutus. itaque cetera quae petebat concessa. de agro responsum est legatos ad rem inspiciendam missuros. si is ager populi Romani fuisset nec cuiquam datus esset, dignissimum eo dono Prusiam habituros esse; si autem Antiochi non fuisse, et eo ne populi quidem Romani factum, appareret, aut datum Gallis esse, ignoscere Prusiam debere, si ex nullius iniuria quicquam ei datum vellet populus Romanus. ne cui detur quidem gratum esse donum posse quod eum qui det ubi vellet ablaturum esse sciat.

Liv. 45. 44. 4-12 omitting 7.

XLVI

reliquum est ut de felicitate, quam praestare de se ipso nemo potest, meminisse et commemorare de altero possumus, sicut aequum est homines de potestate deorum, timide et pauca dicamus. ego enim sic existimo: Maximo, Marcello, Scipioni, Mario et ceteris magnis imperatoribus, non solum propter virtutem sed etiam propter fortunam saepius imperia mandata atque exercitus esse commissos. fuit enim profecto quibusdam summis viris quaedam ad amplitudinem et ad gloriam et ad res magnas bene gerendas divinitus adiuncta fortuna. de huius autem hominis felicitate de quo nunc agimus, hac utar moderatione dicendi, non ut in illius potestate fortunam positam esse dicam, sed ut praeterita meminisse, reliqua sperare videamur, ne aut invisa dis immortalibus oratio nostra aut ingrata esse videatur.

Cic. *imp. Cn. Pomp.* (*leg. Manil.*) 16. 47.

XLVII

(*Juba, king of Numidia, by shewing only part of his forces under Saburra, has drawn Curio from his camp.* B.C. 49).

dat suis signum Saburra, aciem constituit et circumire ordines atque hortari incipit; sed peditatu dumtaxat procul ad speciem utitur, equites in aciem immittit. non deest negotio Curio suosque hortatur ut spem omnem in virtute ponant. ne militibus quidem, ut defessis, neque equitibus, ut paucis et labore confectis, studium ad pugnandum virtusque deerat; sed hi erant numero ducenti, reliqui in itinere substiterant. hi quamcumque in partem impetum fecerant, hostes loco cedere cogebant, sed neque longius fugientes prosequi neque vehementius equos incitare poterant. at equitatus hostium ab utroque cornu circumire aciem nostram et aversos proterere incipit. cum cohortes ex acie procucurrissent, Numidae integri celeritate impetum nostrorum effugiebant, rursusque ad ordines suos se recipientes circumibant et ab acie excludebant. sic neque in loco manere ordinesque servare neque procurrere et casum subire tutum videbatur. hostium copiae submissis ab rege auxiliis crebro augebantur, nostros vires lassitudine deficiebant, simul ii qui volnera acceperant neque acie excedere neque in locum tutum referri poterant, quod tota acies equitatu hostium circumdata tenebatur.

Caes. *bell. civ.* 2. 41.

XLVIII

(*Continuation*)

hi de sua salute desperantes, ut extremo vitae tempore homines facere consuerunt, aut suam mortem miserabantur aut parentes suos commendabant, si quos ex eo periculo Fortuna servare potuisset. plena erant omnia timoris et luctus.

Curio ubi perterritis omnibus neque cohortationes suas neque preces audiri intellegit, unam ut in miseris rebus spem reliquam salutis esse arbitratus, proximos colles capere universos atque eo signa ferri iubet. hos quoque praeoccupat missus a Saburra equitatus. tum vero ad summam desperationem nostri perveniunt et partim fugientes ab equitatu interficiuntur, partim integri procumbunt. hortatur Curionem Cn. Domitius, praefectus equitum, cum paucis equitibus circumsistens, ut fuga salutem petat atque in castra contendat, et se ab eo non discessurum pollicetur. at Curio numquam se amisso exercitu quem a Caesare suae fidei commissum acceperit, in eius conspectum reversurum confirmat, atque ita proelians interficitur. equites ex proelio perpauci se recipiunt; sed ii quos ad novissimum agmen equorum reficiendorum causa substitisse demonstratum est, fuga totius exercitus procul animadversa sese incolumes in castra conferunt. milites ad unum omnes interficiuntur.

Caes. *bell. civ.* 2. 41 f.

XLIX

tanta vis est et loci et temporis. ut si qui, cum causam sit acturus, in itinere aut in ambulatione secum ipse meditetur, aut si quid aliud attentius cogitet, non reprehendatur; at hoc idem si in convivio faciat, inhumanus videatur, inscitia temporis. sed ea quae multum ab humanitate discrepant, ut si qui in foro cantet aut si qua est alia magna perversitas, facile apparet nec magno opere admonitionem et praecepta desiderat. quae autem parva videntur esse delicta neque a multis intellegi possunt, ab eis est diligentius declinandum. ut in fidibus aut tibiis quamvis paullum discrepent, tamen id a sciente animadverti solet, sic videndum est in vita ne forte quid discrepet; vel multo etiam magis, quo maior et melior actionum quam sonorum concentus est.

Cic. *off.* 1. 40. 144 f.

L

(*Before the battle of Pydna*)

tunc mutatione consilii subita cum alii silerent, Nasica unus ex omnibus ausus est monere consulem ne hostem ludificatum priores imperatores fugiendo certamen manibus emitteret: vereri ne, si nocte abeat, sequendus maximo labore ac periculo in intima Macedoniae sit, aestasque, sicut prioribus ducibus, per calles saltusque Macedonicorum montium vagando circumagatur. se magnopere suadere dum in campo patenti hostem habeat adgrediatur, nec oblatam occasionem vincendi amittat. consul nihil offensus libera admonitione tam clari adulescentis "et ego" inquit "animum istum habui, Nasica, quem tu nunc habes, et quem ego nunc habeo tu habebis. multis belli casibus didici quando pugnandum, quando abstinendum pugna sit. non operae est stanti nunc in acie docere quibus de causis hodie quiesse melius sit. rationes alias reposcito; nunc auctoritate veteris imperatoris contentus eris." conticuit adulescens: haud dubie videre aliqua impedimenta pugnae consulem quae sibi non apparerent.

Liv. 44. 36. 9-14.

LI

hunc exitum habuit Servius Galba, tribus et septuaginta annis quinque principes prospera fortuna emensus et alieno imperio felicior quam suo. vetus in familia nobilitas, magnae opes; ipsi medium ingenium, magis extra vitia quam cum virtutibus. famae nec incuriosus nec venditator; pecuniae alienae non adpetens, suae parcus, publicae avarus. amicorum libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens; si mali forent, usque ad culpam ignarus. sed claritas natalium et metus temporum obtentui, ut quod segnitia erat sapientia vocaretur. dum vigebat aetas, militari laude apud Germanias floruit. pro consule Africam moderate, iam senior citeriorem Hispaniam pari iustitia continuit, maior privato visus, dum privatus fuit, et omnium consensu capax imperii, nisi imperasset.

Tac. *hist.* I. 49.

LII

quod vero dicere ausus es, idque multis verbis, opera mea Pompeium a Caesaris amicitia esse diiunctum ob eamque causam culpa mea bellum civile esse natum, in eo non tu quidem tota re, sed, quod maximum est, temporibus errasti. ego M. Bibulo, praestantissimo cive, consule nihil praetermisi, quantum facere enitique potui, quin Pompeium a Caesaris coniunctione avocarem. in quo Caesar felicior fuit. ipse enim Pompeium a mea familiaritate diiunxit. postea vero quam se totum Pompeius Caesari tradidit, quid ego illum ab eo distrahere conarer? stulti erat sperare, suadere impudentis. duo tamen tempora inciderunt quibus aliquid contra Caesarem Pompeio suaserim. ea velim reprehendas, si potes: unum, ne quinquennii imperium Caesari prorogaret, alterum ne pateretur ferri ut absentis eius ratio haberetur. quorum si utrumvis persuasissem, in has miserias numquam incidissemus. atque idem ego, cum iam opes omnis et suas et populi Romani Pompeius ad Caesarem detulisset seroque ea sentire coepisset quae ego multo ante provideram, inferrique patriae bellum viderem nefarium, pacis, concordiae, compositionis auctor esse non destiti, meaque illa vox est nota multis: "utinam, Pompei, cum Caesare societatem aut numquam coisses aut numquam diremisses! fuit alterum gravitatis, alterum prudentiae tuae."

Cic. *Phil.* 2. 9. 23-10. 24.

LIII

eiusdem anni rem dictu parvam praeterirem ni ad religionem visa esset pertinere. tibicines, quia prohibiti a proximis censoribus erant in aede Iovis vesci, quod traditum antiquitus erat, aegre passi Tibur uno agmine abierunt, adeo ut nemo in urbe esset qui sacrificiis praecineret. eius rei religio tenuit senatum, legatosque Tibur miserunt ut darent operam ut ii homines Romanis restituerentur. Tiburtini benigne polliciti primum accitos eos in curiam hortati sunt uti reverterentur Romam. postquam perpelli nequibant, consilio haud abhorrente ab ingeniis hominum eos adgrediuntur. die festo alii alios per speciem celebrandarum cantu epularum invitant et vino, cuius avidum ferme id genus est, oneratos sopiunt, atque ita in plaustra somno vinctos coniciunt ac Romam deportant. nec prius sensere quam plaustris in foro relictis plenos crapulae eos lux oppressit. tunc concursus populi factus impetratoque ut manerent datum ut triduum quotannis ornati cum cantu atque hac quae nunc sollemnis est licentia per urbem vagarentur, restitutumque in aede vescendi ius iis qui sacris praecinerent.

Liv. 9. 30. 5-10.

LIV

est apud Platonem Socrates, cum esset in custodia publica, dicens Critoni, suo familiari, sibi post tertium diem esse moriendum: vidisse se in somnis pulchritudine eximia feminam quae se nomine appellans diceret Homericum quendam eius modi versum:

tertia te Phthiae tempestas laeta locabit.

quod ut est dictum sic scribitur contigisse. Xenophon Socraticus (qui vir et quantus!) in ea militia qua cum Cyro minore perfunctus est sua scribit somnia, quorum eventus mirabiles exstiterunt. mentiri Xenophontem an delirare dicemus? quid? singulari vir ingenio Aristoteles et paene divino ipsene errat an alios vult errare cum scribit Eudemum Cyprium, familiarem suum, iter in Macedoniam facientem Pheras venisse, quae erat urbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur; in eo igitur oppido ita graviter aegrum Eudemum fuisse ut omnes medici diffiderent; ei visum in quiete egregia facie iuvenem dicere fore ut perbrevi convalesceret, paucisque diebus interiturum Alexandrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse rediturum. atque ita quidem prima statim scribit Aristoteles consecuta, et convaluisse Eudemum et ab uxoris fratribus interfectum tyrannum. quinto autem anno exeunte, cum esset spes ex illo somnio in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, proeliantem eum ad Syracusas occidisse; ex quo ita illud somnium esse interpretatum ut, cum animus Eudemi e corpore excesserit, tum domum revertisse videatur.

Cic. *de. div.* I. 25. 52 f.

LV

nunquam tamen maiorem cepi voluptatem quam nuper ex sermone Corneli Taciti. narrabat sedisse se cum quodam Circensibus proximis; hunc post varios eruditosque sermones requisisse "Italicus es an provincialis?" se respondisse "nosti me, et quidem ex studiis." ad hoc illum "Tacitus es an Plinius?" . . . accidit aliud ante pauculos dies simile. recumbebat mecum vir egregius, Fadius Rufinus, super eum municeps ipsius qui illo die primum venerat in urbem; cui Rufinus, demonstrans me, "vides hunc?" multa deinde de studiis nostris. et ille "Plinius est" inquit. verum fatebor, capio magnum laboris mei fructum. an, si Demosthenes iure laetatus est, quod illum anus Attica ita noscitavit οὗτός ἐστι Δημοσθένης, ego celebritate nominis mei gaudere non debeo? ego vero et gaudeo et gaudere me dico. neque enim vereor ne iactantior videar, cum de me aliorum iudicium non meum profero, praesertim apud te, qui nec ullius invides laudibus et faves nostris. vale.

Plin. *ep.* 9. 23. 2, 4-6.

LVI

"erant tamen quibus videretur illius aetatis tertius Curio, quia splendidioribus fortasse verbis utebatur et quia Latine non pessime loquebatur, usu, credo, aliquo domestico. nam litterarum admodum nihil sciebat; sed magni interest, quos quisque audiat cotidie domi, quibuscum loquatur a puero, quemadmodum patres, paedagogi, matres etiam loquantur. legimus epistulas Corneliae matris Gracchorum: apparet filios non tam in gremio educatos quam in sermone matris. auditus est nobis Laeliae C. f. saepe sermo: ergo illam patris elegantia tinctam vidimus et filias eius Mucias ambas, quarum sermo mihi fuit notus, et neptes Licinias, quas nos quidem ambas, hanc vero Scipionis etiam tu, Brute, credo, aliquando audisti loquentem." "ego vero ac lubenter quidem" inquit Brutus; "et eo lubentius quod L. Crassi erat filia."

Cic. *Brut.* 58. 210 f.

LVII

mos erat Faliscis eodem magistro liberorum et comite uti, simulque plures pueri, quod hodie quoque in Graecia manet, unius curae demandabantur. principum liberos, sicut fere fit, qui scientia videbatur praecellere erudiebat. is, cum in pace instituisset pueros ante urbem lusus exercendique causa producere, nihil eo more per belli tempus intermisso, secum modo brevioribus modo longioribus spatiis trahendo eos a porta, lusu sermonibusque variatis longius solito, ubi res dedit, progressus inter stationes eos hostium castraque inde Romana in praetorium ad Camillum perduxit. ibi scelesto facinori scelestiorem sermonem addit: Falerios se in manus Romanis tradidisse, quando eos pueros quorum parentes capita ibi rerum sint, in potestatem dediderit. quae ubi Camillus audivit, "non ad similem" inquit "tui nec populum nec imperatorem scelestus ipse cum scelesto munere venisti. nobis cum Faliscis quae pacto fit humano societas non est; quam ingeneravit natura utrisque, est eritque. sunt et belli sicut pacis iura, iusteque ea non minus quam fortiter didicimus gerere. arma habemus non adversus eam aetatem cui etiam captis urbibus parcitur, sed adversus armatos et ipsos, qui nec laesi nec lacessiti a nobis castra Romana ad Veios oppugnarunt. eos tu, quantum in te fuit, novo scelere vicisti; ego Romanis artibus, virtute opere armis, sicut Veios, vincam."

Liv. 5. 27. 1-8.

LVIII

(Continuation)

denudatum deinde eum, manibus post tergum inligatis, reducendum Falerios pueris tradidit, virgasque eis, quibus proditorem agerent in urbem verberantes, dedit. ad quod spectaculum concursu populi primum facto, deinde a magistratibus de re nova vocato senatu, tanta mutatio animis est iniecta ut qui modo efferati odio iraque Veientium exitum paene quam Capenatium pacem mallent, apud eos pacem universa posceret civitas. fides Romana, iustitia imperatoris, in foro, in curia celebrantur; consensuque omnium legati ad Camillum in castra, atque inde permissu Camilli Romam ad senatum, qui dederent Falerios, proficiscuntur. introducti ad senatum ita locuti traduntur: "patres conscripti, victoria cui nec deus nec homo quisquam invideat victi a vobis et imperatore vestro, dedimus nos vobis rati, quo nihil victori pulchrius est, melius nos sub imperio vestro quam legibus nostris victuros. eventu huius belli duo salutaria exempla prodita humano generi sunt: vos fidem in bello quam praesentem victoriam maluistis; nos fide provocati victoriam ultro detulimus. sub dicione vestra sumus; mittite qui arma, qui obsides, qui urbem patentibus portis accipiant. nec vos fidei nostrae nec nos imperii vestri paenitebit." Camillo et ab hostibus et a civibus gratiae actae. Faliscis in stipendium militum eius anni, ut populus Romanus tributo vacaret, pecunia imperata. pace data exercitus Romam reductus.

Liv. 5. 27. 9-15.

LIX

inter duas acies tantum erat relictum spatii ut satis esset ad concursum utriusque exercitus. sed Pompeius suis praedixerat ut Caesaris impetum exciperent neque se loco moverent aciemque eius distrahi paterentur; idque admonitu C. Triarii fecisse dicebatur, ut primus excursus visque militum infringeretur aciesque distenderetur atque in suis ordinibus dispositi dispersos adorirentur; leviusque casura pila sperabat in loco retentis militibus quam si ipsi immissis telis occurrissent, simul fore ut duplicato cursu Caesaris milites exanimarentur et lassitudine conficerentur. quod nobis quidem nulla ratione factum a Pompeio videtur, propterea quod est quaedam animi incitatio atque alacritas naturaliter innata omnibus, quae studio pugnae incenditur. hanc non reprimere sed augere imperatores debent; neque frustra antiquitus institutum est ut signa undique concinerent clamoremque universi tollerent: quibus rebus et hostes terreri et suos incitari existimaverunt.

Caesar. *bell. civ.* 3. 92.

LX

(*After Tullia's death.* 45 B.C.)

quae res mihi non mediocrem consolationem attulit volo tibi commemorare, si forte eadem res tibi dolorem minuere possit. ex Asia rediens cum ab Aegina Megaram versus navigarem, coepi regiones circumcirca prospicere: post me erat Aegina, ante me Megara, dextra Piraeeus, sinistra Corinthus; quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos iacent. coepi egomet mecum sic cogitare: "hem! nos homunculi indignamur si quis nostrum interiit aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum uno loco tot oppidum cadavera proiecta iacent? visne tu te, Servi, cohibere et meminisse hominem te esse natum?" crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. hoc idem, si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas: modo uno tempore tot viri clarissimi interierunt; de imperio populi Romani tanta deminutio facta est; omnes provinciae conquassatae sunt: in unius mulierculae animula si iactura facta est, tanto opere commoveris? quae si hoc tempore non diem suum obisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat.

Servius Sulpicius *in* Cic. *fam.* 4. 5. 4.

LXI

(from Cicero's answer)

sed opprimor interdum et vix resisto dolori, quod ea me solacia deficiunt quae ceteris quorum mihi exempla propono simili in fortuna non defuerunt: nam et Q. Maximus, qui filium consularem, clarum virum et magnis rebus gestis, amisit, et L. Paullus, qui duo septem diebus, et vester Gallus et M. Cato, qui summo ingenio summa virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt ut eorum luctum ipsorum dignitas consolaretur ea quam ex re publica consequebantur; mihi autem amissis ornamentis iis quae ipse commemoras quaeque eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud solacium quod ereptum est. non amicorum negotiis, non rei publicae procuratione impediebantur cogitationes meae, nihil in foro agere libebat, aspicere curiam non poteram; existimabam, id quod erat, omnes me et industriae meae fructus et fortunae perdidisse; sed cum cogitarem haec mihi tecum et cum quibusdam esse communia, et cum frangerem iam ipse me et cogerem illa ferre toleranter, habebam quo confugerem, ubi conquiescerem, cuius in sermone et suavitate omnes curas doloresque deponerem; nunc autem hoc tam gravi volnere etiam illa quae consanuisse videbantur recrudescunt; non enim, ut tum me a re publica maestum domus excipiebat quae levaret, sic nunc domo maerens ad rem publicam confugere possum, ut in eius bonis adquiescam.

Cic. *fam.* 4. 6. 1. f.

LXII

(*Hannibal has decided to march on Rome.* 211 B.C.)

id priusquam fieret ita futurum conpertum ex transfugis Fulvius Flaccus senatui Romam cum scripsisset, varie animi hominum pro cuiusque ingenio adfecti sunt. ut in re tam trepida senatu extemplo vocato P. Cornelius, cui Asinae cognomen erat, omnes duces exercitusque ex tota Italia neque Capuae neque ullius alterius rei memor ad urbis praesidium revocabat. Fabius Maximus abscedi a Capua terrerique et circumagi ad nutus comminationesque Hannibalis flagitiosum ducebat. qui ad Cannas victor ire tamen ad urbem ausus non esset, eum a Capua repulsum spem potiundae urbis Romae cepisse! non ad Romam obsidendam, sed ad Capuae liberandam obsidionem ire. Romam cum eo exercitu qui ad urbem esset Iovem, foederum ruptorum ab Hannibale testem, deosque alios defensuros esse. has diversas sententias media sententia P. Valerii Flacci vicit, qui utriusque rei memor imperatoribus qui ad Capuam essent scribendum censuit quid ad urbem praesidii esset; quantas autem Hannibal copias duceret aut quanto exercitu ad Capuam obsidendam opus esset, ipsos scire. si ita Romam e ducibus alter et exercitus pars mitti posset ut ab reliquo et duce et exercitu Capua recte obsideretur, inter se compararent Claudius Fulviusque utri obsidenda Capua, utri ad prohibendam obsidione patriam Romam veniundum esset.

Liv. 26. 8. 1-8.

LXIII

audistis cum pro se diceret, audistis antea cum accusaret (defendendi haec causa non gloriandi eloquor): genus orationis, facultatem, copiam sententiarum atque verborum, quae vestra prudentia est, perspexistis; atque in eo non solum ingenium elucere eius videbatis, quod saepe, etiamsi industria non alitur, valet tamen ipsum suis viribus, sed inerat, nisi me propter benevolentiam forte fallebat, ratio et bonis artibus instituta et cura et vigiliis elaborata. atqui scitote, iudices, eas cupiditates quae obiciuntur Caelio, atque haec studia de quibus disputo, non facile in eodem homine esse posse. fieri enim non potest ut animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate . . . impeditus, hoc, quicquid est, quod nos facimus in dicendo, non modo agendo verum etiam cogitando possit sustinere. an vos aliam causam esse ullam putatis cur in tantis praemiis eloquentiae, tanta voluptate dicendi, tanta laude, tanta gratia, tanto honore, tam sint pauci, semperque fuerint, qui in hoc labore versentur? opterendae sunt omnes voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, convivium, sermo paene est familiarium deserendus. quare in hoc genere labor offendit homines a studioque deterret, non quo aut ingenia deficiant aut doctrina puerilis. an hic, si sese isti vitae dedidisset, consularem hominem admodum adulescens in iudicium vocavisset? hic, si laborem fugeret, si obstrictus voluptatibus teneretur, in hac acie cotidie versaretur, adpeteret inimicitias, in iudicium vocaret, subiret periculum capitis ipse, inspectante populo Romano tot iam menses aut de salute aut de gloria dimicaret?

Cic. *pro. Cael.* 19. 45-47.

LXIV

intranti [*sc.* Masinissae] vestibulum in ipso limine Sophoniba, uxor Syphacis, filia Hasdrubalis Poeni, occurrit: et cum in medio agmine armatorum Masinissam insignem cum armis tum cetero habitu conspexisset, regem esse, id quod erat, rata, genibus advoluta eius: "omnia quidem ut posses" inquit "in nobis, di dederunt virtusque et felicitas tua; sed si captivae apud dominum vitae necisque suae vocem supplicem mittere licet, si genua, si victricem attingere dextram, precor quaesoque per maiestatem regiam, in qua paulo ante nos quoque fuimus, per gentis Numidarum nomen, quod tibi cum Syphace commune fuit, per huiusce regiae deos, qui te melioribus ominibus accipiant, quam Syphacem hinc miserunt, hanc veniam supplici des, ut ipse quodcumque fert animus de captiva tua statuas, neque me in cuiusquam Romani superbum et crudele arbitrium venire sinas. si nihil aliud quam Syphacis uxor fuissem, tamen Numidae atque in eadem mecum Africa geniti quam alienigenae et externi fidem experiri mallem. quid Carthaginiensi ab Romano, quid filiae Hasdrubalis timendum sit, vides. si nulla re alia potes, morte me ut vindices ab Romanorum arbitrio oro obtestorque." forma erat insignis et florentissima aetas. itaque cum modo genua modo dextram amplectens in id, ne cui Romano traderetur, fidem exposceret, propiusque blanditias iam oratio esset quam preces, non in misericordiam modo prolapsus est animus victoris, sed, ut est genus Numidarum in venerem praeceps, amore captivae victor captus.

Liv. 30. 12. 11-18.

LXV

at, credo, haec homo inconsultus et temerarius non videbat. quis consideratior illo, quis tectior, quis prudentior? quamquam hoc loco Deiotarum non tam ingenio et prudentia quam fide et religione vitae defendendum puto. nota tibi est hominis probitas, C. Caesar, noti mores, nota constantia. cui porro, qui modo populi Romani nomen audivit, Deiotari integritas gravitas virtus fides non est audita? quod igitur facinus nec in hominem inprudentem caderet propter metum praesentis exitii nec in facinerosum, nisi esset idem amentissimus, id vos et a viro optimo et ab homine minime stulto cogitatum esse confingitis? at quam non modo non credibiliter sed ne suspiciose quidem. "cum," inquit, "in castellum Peium venisses et domum regis hospitis tui devertisses, locus erat quidam in quo erant ea composita quibus te rex munerare constituerat. huc te e balneo prius quam accumberes, ducere volebat. erant enim armati qui te interficerent in eo ipso loco collocati." . . . at quam festive crimen contexitur! "tua te," inquit, "eadem quae semper fortuna servavit; negavisti tum te inspicere velle." quid postea? an Deiotarus re illo tempore non perfecta continuo dimisit exercitum? nullus erat alius insidiandi locus? at eodem te cum cenavisses rediturum dixeras, itaque fecisti. horam unam aut duas eodem loco armatos ut collocati fuerant retinere magnum fuit?

Cic. *Deiot.* 6. 16-17, 19-7. 19.

LXVI

deversatus est [*sc.* Hannibal] apud Ninnios Celeres, Sthenium Pacuviumque, inclitos nobilitate ac divitiis. eo Pacuvius Calavius, de quo ante dictum est, princeps factionis eius quae traxerat rem ad Poenos, filium iuvenem adduxit, abstractum a Decii Magii latere, cum quo ferocissime pro Romana societate adversus Punicum foedus steterat, nec eum aut inclinata in partem alteram civitas aut patria maiestas sententia depulerat. huic tum pater iuveni Hannibalem deprecando magis quam purgando placavit, victusque patris precibus lacrimisque etiam ad cenam eum cum patre vocari iussit, cui convivio neminem Campanum praeterquam hospites Vibelliumque Tauream, insignem bello virum, adhibiturus erat. epulari coeperunt de die, et convivium non ex more Punico aut militari disciplina esse, sed, ut in civitate atque etiam domo diti ac luxuriosa, omnibus voluptatium inlecebris instructum. unus nec dominorum invitatione nec ipsius interdum Hannibalis Calavius filius perlici ad vinum potuit, ipse valetudinem excusans, patre animi quoque eius haud mirabilem perturbationem causante. solis ferme occasu patrem Calavium ex convivio egressum secutus filius, ubi in secretum--hortus erat posticis aedium partibus—pervenerunt, "consilium" inquit "adfero, pater, quo non veniam solum peccati, quod defecimus ad Hannibalem, impetrare ab Romanis, sed in multo maiore dignitate et gratia esse possimus Campani quam unquam fuimus."

Liv. 23. 8. 1-9.

LXVII

(*Continuation*)

cum mirabundus pater quidnam id esset consilii quaereret, toga reiecta ab humero latus succinctum gladio nudat. "iam ego" inquit "sanguine Hannibalis sanciam Romanum foedus. te id prius scire volui, si forte abesse dum facinus patratur malles." quae ubi vidit audivitque senex, velut si iam agendis quae audiebat interesset, amens metu "per ego te" inquit, "fili, quaecumque iura liberos iungunt parentibus, precor quaesoque ne ante oculos patris facere et pati omnia infanda velis. paucae horae sunt intra quas iurantes per quidquid deorum est dextrae dextras iungentes fidem obstrinximus —ut sacratas fide manus digressi a conloquio extemplo in eum armaremus? ab hospitali mensa surgis, ad quam tertius Campanorum adhibitus es ab Hannibale,—ut eam ipsam mensam cruentes hospitis sanguine? Hannibalem pater filio meo potui placare, filium Hannibali non possum? sed sit nihil sancti, non fides, non religio, non pietas; audeantur infanda, si non perniciem nobis cum scelere ferunt. unus adgressurus es Hannibalem? . . ." tum iuvenis "ego quidem" inquit "quam patriae debeo pietatem exsolvam patri. . . . tu, patria, ferrum quo pro te armatus hanc arcem hostium inii, quoniam parens extorquet, recipe." haec cum dixisset, gladium in publicum trans maceriam horti abiecit, et, quo minus res suspecta esset, se ipse convivio reddidit.

Id. 23. 8. 10–9. 5, 10, 12 f.

LXVIII

nam cum essem in Puteolano Hirtiusque noster, consul designatus, isdem in locis, vir nobis amicissimus et his studiis in quibus nos a pueritia viximus deditus, multum una eramus maxime nos quidem exquirentes ea consilia quae ad pacem et ad concordiam civium pertinerent. cum enim omnes post interitum Caesaris novarum perturbationum causae quaeri viderentur iisque esse occurrendem putaremus, omnis fere nostra in his deliberationibus consumebatur oratio, idque et saepe alias et quodam liberiore quam solebat et magis vacuo ab interventoribus die, cum ad me ille venisset, primo ea quae erant cotidiana et quasi legitima nobis, de pace et de otio. quibus actis "quid ergo," inquit ille, "quoniam oratorias exercitationes non tu quidem, ut spero, reliquisti, sed certe philosophiam illis anteposuisti, possumne aliquid audire?" "tu vero," inquam, "vel audire vel dicere; nec enim, id quod recte existimas, oratoria illa studia deserui quibus etiam te incendi,—quamquam flagrantissumum acceperam,—nec ea, quae nunc tracto, minuunt sed augent potius illam facultatem. nam cum hoc genere philosophiae quod nos sequimur magnam habet orator societatem; subtilitatem enim ab Academia mutuatur et ei vicissim reddit ubertatem orationis et ornamenta dicendi."

Cic. *de fato*, 1. 2.—2. 3.

LXIX

ita in duas factiones civitas discessit, donec propinquantibus Romanis bellum externum concordiam pareret. evenerant prodigia, quae neque hostiis neque votis piare fas habet gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa. visae per caelum concurrere acies, rutilantia arma et subito nubium igne conlucere templum. apertae repente delubri fores et audita maior humana vox, excedere deos; simul ingens motus excedentium. quae pauci in metum trahebant; pluribus persuasio inerat antiquis sacerdotum litteris contineri eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens profectique Iudaea rerum poterentur. quae ambages Vespasianum ac Titum praedixerat: sed volgus more humanae cupidinis sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati ne adversis quidem ad vera mutabantur. multitudinem obsessorum, omnis aetatis, virile ac muliebre secus, sescenta milia fuisse accepimus. arma cunctis qui ferre possent, et plures quam pro numero audebant. obstinatio viris feminisque par; ac si transferre sedes cogerentur, maior vitae metus quam mortis. hanc adversus urbem gentemque Caesar Titus, quando impetus et subita belli locus abnueret, aggeribus vineisque certare statuit: dividuntur legionibus munia et quies proeliorum fuit, donec cuncta expugnandis urbibus reperta apud veteres aut novis ingeniis struerentur.

Tac. *hist.* 5. 12 f.

LXX

hos ad magistros si qua te fortuna, Cato, cum ista natura detulisset, non tu quidem vir melior esses nec fortior nec temperantior nec iustior (neque enim esse potes), sed paulo ad lenitatem propensior. non accusares nullis adductus inimicitiis, nulla lacessitus iniuria pudentissimum hominem summa dignitate atque honestate praeditum; putares, cum in eiusdem anni custodia te atque L. Murenam fortuna posuisset, aliquo te cum hoc rei publicae vinculo esse coniunctum; quod atrociter in senatu dixisti, aut non dixisses aut, si posuisses, mitiorem in partem interpretarere. ac te ipsum, quantum ego opinione auguror, nunc et animi quodam impetu concitatum et vi naturae atque ingenii elatum et recentibus praeceptorum studiis flagrantem, iam usus flectet, dies leniet, aetas mitigabit. etenim isti ipsi mihi videntur vestri praeceptores et virtutis magistri fines officiorum paulo longius quam natura vellet protulisse, ut, cum ad ultimum animo contendissemus, ibi tamen ubi oporteret consisteremus. "nihil ignoveris." immo aliquid, non omnia. "nihil gratiae concesseris." immo resistito gratiae cum officium et fides postulabit. "misericordia commotus ne sis." etiam, in dissolvenda severitate; sed tamen est laus aliqua humanitatis. "in sententia permaneto." vero, nisi sententiam sententia aliqua vicerit melior.

Cic. *Mur.* 31. 64 f.

LXXI

(*Death of Tiberius Gracchus*)

tum P. Scipio Nasica, eius qui optimus vir a senatu iudicatus erat, nepos, eius qui censor porticus in Capitolio fecerat filius, pronepos autem Cn. Scipionis celeberrimi viri P. Africani patrui, privatusque et togatus, cum esset consobrinus Ti. Gracchi patriam cognationi praeferens, et quidquid publice salutare non esset privatim alienum existimans (ob eas virtutes primus omnium absens pontifex maximus factus est), circumdata laevo brachio togae lacinia Capitolii summis gradibus insistens hortatus est qui salvam vellent rem publicam se sequerentur. tum senatus atque equestris ordinis pars melior et maior, et intacta perniciosis consiliis plebs inruere in Gracchum stantem in area cum catervis suis et concientem paene totius Italiae frequentiam. is fugiens decurrensque clivo Capitolino fragmine subsellii ictus vitam, quam gloriosissime degere potuerat, immatura morte finivit. hoc initium in urbe Roma civilis sanguinis gladiorumque impunitatis fuit. inde ius vi obrutum potentiorque habitus prior discordiaeque civium antea condicionibus sanari solitae ferro diiudicatae bellaque non causis inita sed prout eorum merces fuit.

Velleius Paterculus, 2. 3. 1-3.

LXXII

(Clodius contrasted with earlier demagogues)

Ti. Gracchus convellit statum civitatis, qua gravitate vir, qua eloquentia, qua dignitate! nihil ut a patris avique Africani praestabili insignique virtute praeterquam quod a senatu desciverat, deflexisset. secutus est C. Gracchus, quo ingenio, qua eloquentia, quanta vi, quanta gravitate dicendi! ut dolerent boni non illa tanta ornamenta ad meliorem mentem voluntatemque esse conversa. ipse L. Saturninus ita fuit effrenatus et paene demens ut actor esset egregius et ad animos imperitorum excitandos inflammandosque perfectus. nam quid ego de P. Sulpicio loquar? cuius tanta in dicendo gravitas, tanta iucunditas, tanta brevitas fuit, ut posset vel ut prudentes errarent vel ut boni minus bene sentirent perficere dicendo. cum his conflictari et pro salute patriae cotidie dimicare erat omnino illis qui tum rem publicam gubernabant molestum; sed habebat ea molestia quandam tamen dignitatem. hic vero de quo ego ipse tam multa nunc dico, pro di immortales, quid est, quid valet, quid adfert, ut tanta civitas si cadet,—quod di omen obruant!—a viro tamen confecta videatur?

Cic. *de har. resp.* 19. 41–20. 42.

LXXIII

quam ubi ab re tanto impetu acta sollicitudinem curamque hominum animadvertit, advocata contione ita de aetate sua, imperioque mandato, et bello quod gerundum esset, magno elatoque animo disseruit, ut ardorem eum, qui resederat, excitaret rursus novaretque et impleret homines certioris spei quam quantam fides promissi humani aut ratio ex fiducia rerum subicere solet. fuit enim Scipio non veris tantum virtutibus mirabilis, sed arte quoque quadam ab iuventa in ostentationem earum compositus, pleraque apud multitudinem aut per nocturnas visas species aut velut divinitus mente monita agens, sive et ipse capti quadam superstitione animi, sive ut imperia consiliaque velut sorte oraculi missa sine cunctatione exsequerentur.

Liv. 26. 19. 1-4.

LXXIV

(B.C. 50)

M. CATO S. D. M. CICERONI IMP.

quod et res publica me et nostra amicitia hortatur, libenter facio, ut tuam virtutem innocentiam diligentiam, cognitam in maximis rebus domi togati, armati foris pari industria administrari gaudeam. itaque quod pro meo iudicio facere potui, ut innocentia consilioque tuo defensam provinciam, servatum Ariobarzanis cum ipso rege regnum, sociorum revocatam ad studium imperii nostri voluntatem sententia mea et decreto laudarem, feci. supplicationem decretam, si tu, qua in re nihil fortuito, sed summa tua ratione et continentia rei publicae provisum est, dis immortalibus gratulari nos quam tibi referre acceptum mavis, gaudeo. quod si triumphi praerogativam putas supplicationem et idcirco casum potius quam te laudari mavis, neque supplicationem sequitur semper triumphus et triumpho multo clarius est senatum iudicare potius mansuetudine et innocentia imperatoris provinciam quam vi militum aut benignitate deorum retentam atque conservatam esse; quod ego mea sententia censebam. atque haec ego idcirco ad te contra consuetudinem meam pluribus scripsi ut, quod maxime volo, existimes me laborare ut tibi persuadeam me et voluisse de tua maiestate quod amplissimum sum arbitratus et quod tu maluisti factum esse gaudere. vale et nos dilige et instituto itinere severitatem diligentiamque sociis et rei publicae praesta.

Cato *in* Cic. *fam.* 15. 5.

LXXV

M. CICERO S. D. M. CATONI.

"laetus sum laudari me," inquit Hector opinor, apud Naevium, "abs te, pater, a laudato viro." ea est enim profecto iucunda laus quae ab iis proficiscitur qui ipsi in laude vixerunt. ego vero vel gratulatione litterarum tuarum vel testimoniis sententiae dictae nihil est quod me non assecutum putem, idque mihi cum amplissimum tum gratissimum est, te libenter amicitiae dedisse quod liquido veritati dares. et si non modo omnes verum etiam multi Catones essent in civitate nostra, in qua unum exstitisse mirabile est, quem ego currum aut quam lauream cum tua laudatione conferrem? nam ad meum sensum et ad illud sincerum ac subtile iudicium, nihil potest esse laudabilius quam ea tua oratio, quae est ad me perscripta a meis necessariis. sed causam meae voluntatis—non enim dicam cupiditatis—exposui tibi superioribus litteris; quae etiamsi parum iusta tibi visa est, hanc tamen habet rationem, non ut nimis concupiscendus honos, sed tamen si deferatur a senatu minime aspernandus esse videatur. spero autem illum ordinem pro meis ob rem publicam susceptis laboribus me non indignum honore, usitato praesertim, existimaturum.

Cic. *fam.* 15. 6. 1 f.

LXXVI

(*Jugurtha is besieging Adherbal in spite of a protest from Rome. The senate does not send an army*)

legantur tamen in Africam maiores natu nobiles, amplis honoribus usi. in quis fuit M. Scaurus, de quo supra memoravimus, consularis et tum senatus princeps. ei, quod res in invidia erat, simul et ab Numidis obsecrati, triduo navem ascendere. dein brevi Uticam adpulsi litteras ad Jugurtham mittunt: quam ocissume ad provinciam adcedat, seque ad eum ab senatu missos. ille ubi accepit homines claros, quorum auctoritatem Romae pollere audiverat, contra inceptum suum venisse, primo commotus metu atque lubidine divorsus agitabatur. timebat iram senatus ni paruisset legatis; porro animus cupidine caecus ad inceptum scelus rapiebatur. vicit tamen in avido ingenio pravom consilium. igitur exercitu circumdato summa vi Cirtam inrumpere nititur, maxume sperans diducta manu hostium aut vi aut dolis sese casum victoriae inventurum. quod ubi secus procedit neque quod intenderat efficere potest, ut prius quam legatos conveniret, Adherbalis potiretur, ne amplius morando Scaurum, quem plurumum metuebat, incenderet, cum paucis equitibus in provinciam venit. ac tametsi senati verbis graves minae nuntiabantur quod ab oppugnatione non desisteret, multa tamen oratione consumpta legati frustra discessere.

Sall. *Jug.* 25. 4-11.

LXXVII

atque hoc quidem omnes mortales sic habent: externas commoditates, vineta segetes oliveta ubertatem frugum et fructuum, omnem denique commoditatem prosperitatemque vitae a dis se habere; virtutem autem nemo umquam acceptam deo rettulit. nimirum recte; propter virtutem enim iure laudamur et in virtute recte gloriamur; quod non contingeret si id donum a deo non a nobis haberemus. at vero aut honoribus aucti aut re familiari aut si aliud quippiam nacti sumus fortuiti boni aut depulimus mali, tum dis gratias agimus, tum nihil nostrae laudi adsumptum arbitramur. num quis quod bonus vir esset gratias dis egit umquam? at quod dives, quod honoratus, quod incolumis. Iovemque optumum et maxumum ob eas res appellant, non quod nos iustos temperatos sapientes efficiat, sed quod salvos incolumis opulentos copiosos. neque Herculi quisquam decumam vovit umquam si sapiens factus esset. quamquam Pythagoras cum in geometria quiddam novi invenisset, Musis bovem immolasse dicitur; sed id quidem non credo, quoniam ille ne Apollini quidem Delio hostiam immolare voluit, ne aram sanguine aspergeret.

Cic. *nat. deor.* 3. 36. 86-88.

LXXVIII

(*Hannibal addresses his men.* 218 B.C.)

nec quam magni nominis bellum est, tam difficilem existimaritis victoriam fore; saepe et contemptus hostis cruentum certamen edidit et incliti populi regesque perlevi momento victi sunt. nam dempto hoc uno fulgore nominis Romani, quid est cur illi vobis comparandi sint? ut viginti annorum militiam vestram cum illa virtute, cum illa fortuna, taceam, ab Herculis columnis, ab Oceano terminisque ultimis terrarum per tot ferocissimos Hispaniae et Galliae populos vincentes huc pervenistis; pugnabitis cum exercitu tirone hac ipsa aestate caeso victo circumsesso a Gallis, ignoto adhuc duci suo ignorantique ducem. an me in praetorio patris, clarissimi imperatoris, prope natum, certe eductum, domitorem Hispaniae Galliaeque, victorem eundem non Alpinarum modo gentium sed ipsarum, quod multo maius est, Alpium, cum semestri hoc conferam duce, desertore exercitus sui? cui si quis demptis signis Poenos Romanosque hodie ostendat, ignoraturum certum habeo utrius exercitus sit consul. non ego illud parvi aestimo, milites, quod nemo est vestrum cuius non ante oculos ipse saepe militare aliquod ediderim facinus, cui non idem ego virtutis spectator ac testis notata temporibus locisque referre sua possim decora. cum laudatis a me miliens donatisque, alumnus prius omnium vestrum quam imperator, procedam in aciem adversus ignotos inter se ignorantesque. . . . inferimus bellum infestisque signis descendimus in Italiam tanto audacius fortiusque pugnaturi quam hostis, quanto maior spes maior est animus inferentis vim quam arcentis.

Liv. 21. 43. 11—*end*, 44. 3.

LXXIX

(The citizens are to vote on the question of Cicero's recall from exile)

princeps rogationis, vir mihi amicissimus, Q. Fabricius, templum aliquanto ante lucem occupavit. quietus eo die Sestius, is qui est de vi reus; actor hic defensorque causae meae nihil progreditur, consilia expectat inimicorum meorum. quid? illi quorum consilio P. Sestius in iudicium vocatur, quo se pacto gerunt? cum forum, comitium, curiam, multa de nocte armatis hominibus ac servis plerisque occupavissent, impetum faciunt in Fabricium, manus adferunt, occidunt non nullos, volnerant multos. venientem in forum virum optimum et constantissimum, M. Cispium, tribunum plebis, vi depellunt, caedem in foro maximam faciunt universique destrictis gladiis et cruentis in omnibus fori partibus fratrem meum, virum optimum, fortissimum, meique amantissimum, oculis quaerebant voce poscebant. quorum ille telis libenter in tanto luctu ac desiderio mei non repugnandi sed moriendi causa corpus obtulisset suum, nisi suam vitam ad spem mei reditus reservasset. subiit tamen vim illam nefariam consceleratorum latronum et, cum ad fratris salutem a populo Romano deprecandam venisset, pulsus e rostris in comitio iacuit seque servorum et libertorum corporibus obtexit vitamque tum suam noctis et fugae praesidio non iuris iudiciorumque defendit. meministis tum, iudices, corporibus civium Tiberim compleri, cloacas refarciri, e foro spongiis effingi sanguinem.

Cic. *pro. Sest.* 35. 75 ff.

LXXX

opperiebatur Otho nuntium pugnae nequaquam trepidus et consilii certus. maesta primum fama dein profugi e proelio perditas res patefaciunt. non expectavit militum ardor vocem imperatoris; bonum haberet animum iubebant: superesse adhuc novas vires et ipsos extrema passuros ausurosque. neque erat adulatio: ire in aciem, excitare partium fortunam furore quodam et instinctu flagrabant. qui procul adstiterant tendere manus et proximi prensare genua, promptissimo Plotio Firmo. is praetorii praefectus identidem orabat ne fidissimum exercitum, ne optime meritos milites desereret. maiore animo tolerari adversa quam relinqui; fortes et strenuos etiam contra fortunam insistere spei, timidos et ignavos ad desperationem formidine properare. quas inter voces ut flexerat vultum aut induraverat Otho, clamor et gemitus. nec praetoriani tantum, proprius Othonis miles, sed praemissi e Moesia eandem obstinationem adventantis exercitus, legiones Aquileiam ingressas nuntiabant, ut nemo dubitet potuisse renovari bellum atrox, lugubre, incertum victis et victoribus. ipse aversus a consiliis belli "hunc" inquit "animum, hanc virtutem vestram ultra periculis obicere nimis grande vitae meae pretium puto. quanto plus spei ostenditis si vivere placeret, tanto pulchrior mors erit. experti in vicem sumus ego ac fortuna. nec tempus computaveritis: difficilius est temperare felicitati qua te non putes diu usurum."

Tac. *hist.* 2. 46 f.

LXXXI

(The Romans have entered in the night the outlying part of Syracuse called Epipolae)

sub lucem Hexapylo effracto Marcellus omnibus copiis urbem ingressus excitavit convertitque omnes ad arma capienda opemque, si qua possent, iam captae prope urbi ferendam. Epicydes ab Insula, quam ipsi Nason vocant, citato profectus agmine haud dubius quin paucos per neglegentiam custodum transgressos murum expulsurus foret, occurrentibus pavidis tumultum augere eos dictitans et maiora ac terribiliora vero adferre, postquam conspexit omnia circa Epipolas armis conpleta, lacessito tantum hoste paucis missilibus retro in Achradinam agmen convertit, non tam vim multitudinemque hostium metuens quam ne qua intestina fraus per occasionem oreretur clausasque inter tumultum Achradinae atque Insulae inveniret portas. Marcellus ut moenia ingressus ex superioribus locis urbem omnium ferme illa tempestate pulcherrimam subiectam oculis vidit, inlacrimasse dicitur partim gaudio tantae perpetratae rei, partim vetusta gloria urbis. Atheniensium classes demersae et duo ingentes exercitus cum duobus clarissimis ducibus deleti occurrebant et tot bella cum Carthaginiensibus tanto cum discrimine gesta, tot tam opulenti tyranni regesque, praeter ceteros Hiero cum recentissimae memoriae rex, tum ante omnia quae virtus ei fortunaque sua dederat, beneficiis in populum Romanum insignis: ea cum universa occurrerent animo subiretque cogitatio iam illa momento horae arsura omnia et ad cineres reditura, priusquam signa Achradinam admoveret praemittit Syracusanos qui intra praesidia Romana, ut ante dictum est, fuerant, ut adloquio leni inpellerent hostes ad dedendam urbem. Liv. 25. 24. 7 ff.

LXXXII

auspicia vero vestra quam constant! quae quidem nunc a Romanis auguribus ignorantur (bona hoc tua venia dixerim), a Cilicibus, Pamphyliis, Pisidis, Lyciis tenentur. nam quid ego hospitem nostrum, clarissumum atque optumum virum, Deiotarum regem, commemorem? qui nihil umquam nisi auspicato gerit. qui cum ex itinere quodam proposito et constituto revertisset aquilae admonitus volatu, conclave illud ubi erat mansurus, si ire perrexisset, proxima nocte corruit. itaque, ut ex ipso audiebam, persaepe revertit ex itinere cum iam progressus esset multorum dierum viam. cuius quidem hoc praeclarissumum est quod posteaquam a Caesare tetrarchia et regno pecuniaque multatus est, negat se tamen eorum auspiciorum quae sibi ad Pompeium proficiscenti secunda evenerint paenitere. senatus enim auctoritatem et populi Romani libertatem atque imperii dignitatem suis armis esse defensam, sibique eas aves quibus auctoribus officium et fidem secutus esset bene consuluisse; antiquiorem enim sibi fuisse possessionibus suis gloriam. ille mihi videtur igitur vere augurari. nam nostri quidem magistratus auspiciis utuntur coactis; necesse est enim offa obiecta cadere frustum ex pulli ore cum pascitur.

Cic. *de div.* I. 15. 25-27

LXXXIII

(*Cato the Elder is speaking*)

saepe me querentem de feminarum, saepe de virorum, nec de privatorum modo, sed etiam magistratuum, sumptibus audistis, diversisque duobus vitiis, avaritia et luxuria, civitatem laborare, quae pestes omnia magna imperia everterunt. haec ego quo melior laetiorque in dies fortuna rei publicae est imperiumque crescit—et iam in Graeciam Asiamque transcendimus omnibus libidinum inlecebris repletas et regias etiam adtrectamus gazas—eo plus horreo ne illae magis res nos ceperint quam nos illas. infesta, mihi credite, signa ab Syracusis inlata sunt huic urbi. iam nimis multos audio Corinthi et Athenarum ornamenta laudantes mirantesque et antefixa fictilia deorum Romanorum ridentes. ego hos malo propitios deos, et ita spero futuros si in suis manere sedibus patiemur. patrum nostrorum memoria per legatum Cineam Pyrrhus non virorum modo sed etiam mulierum animos donis temptavit. nondum lex Oppia ad coercendam luxuriam muliebrem lata erat; tamen nulla accepit. quam causam fuisse censetis? eadem fuit quae maioribus nostris nihil de hac re lege sanciundi: nulla erat luxuria quae coerceretur. sicut ante morbos necesse est cognitos esse quam remedia eorum, sic cupiditates prius natae sunt quam leges quae iis modum facerent. quid legem Liciniam excitavit de quingentis iugeribus nisi ingens cupido agros continuandi?

Liv. 34. 4. 1-9.

LXXXIV

(46 B.C.)

CICERO S. D. CORNIFICIO COLLEGAE.

grata mihi vehementer est memoria nostri tua quam significasti litteris; quam ut conserves, non quo de tua constantia dubitem sed quia mos est ita rogandi, rogo. ex Syria nobis tumultuosiora quaedam nuntiata sunt; quae quia tibi sunt propiora quam nobis, tua me causa magis movent quam mea. Romae summum otium est, sed ita ut malis salubre aliquod et honestum negotium. quod spero fore; video id curae esse Caesari. me scito dum tu absis, quasi occasionem quandam et licentiam nactum, scribere audacius; et cetera quidem fortasse quae etiam tu concederes, sed proxime scripsi de optimo genere dicendi, in quo saepe suspicatus sum te a iudicio nostro, sic scilicet ut doctum hominem ab non indocto, paullum dissidere: huic tu libro maxime velim ex animo, si minus, gratiae causa suffragere. dicam tuis ut eum, si velint, describant ad teque mittant. puto enim, etiamsi rem minus probabis, tamen in ista solitudine quicquid a me profectum sit iucundum tibi fore.

Cic. *fam.* 12. 17. 1 f.

LXXXV

Flavus ad Romanum imperatorem venit. rem se ait magnam incohasse, ad quam perficiendam ipsius Gracchi opera opus esse. omnium populorum praetoribus qui ad Poenum in illo communi Italiae motu descissent, persuasisse ut redirent in amicitiam Romanorum, quando res quoque Romana, quae prope exitium clade Cannensi venisset, in dies melior atque auctior fieret, Hannibalis vis senesceret ac prope ad nihilum venisset. veteri delicto haud inplacabiles fore Romanos. nullam umquam gentem magis exorabilem promptioremque veniae dandae fuisse. quotiens rebellioni etiam maiorum suorum ignotum! haec ab sese dicta; ceterum ab ipso Gracco eadem haec audire malle eos praesentisque contingere dextram et id pignus fidei secum ferre. locum se concilio iis dixisse a conspectu amotum haud procul castris Romanis; ibi paucis verbis transigi rem posse, ut omne nomen Lucanum in fide ac societate Romana sit. Gracchus fraudem et sermoni et rei abesse ratus ac similitudine veri captus cum lictoribus ac turma equitum e castris profectus duce hospite in insidias praecipitatur. hostes subito exorti et, ne dubia proditio esset, Flavus iis se adiungit. tela undique in Gracchum atque equites coniciuntur.

Liv. 25. 16. 9-16.

LXXXVI

(Continuation)

Gracchus ex equo desilit; idem ceteros facere iubet hortaturque ut quod unum reliquum fortuna fecerit id cohonestent virtute. reliquum autem quid esse paucis a multitudine in valle silva ac montibus saepta circumventis praeter mortem? id referre utrum praebentes corpora pecorum modo inulti trucidentur, an toti a patiendo exspectandoque eventu in impetum atque iram versi, agentes audentesque, perfusi hostium cruore, inter exspirantium inimicorum cumulata armaque et corpora cadant. Lucanum proditorem ac transfugam omnes peterent; qui eam victimam prae se ad inferos misisset, eum decus eximium, egregium solacium suae morti inventurum. inter haec dicta paludamento circa laevum brachium intorto—nam ne scuta quidem secum extulerant—in hostes impetum fecit. maior quam pro numero hominum editur pugna: iaculis maxime aperta corpora Romanorum, et cum undique ex altioribus locis in cavam vallem coniectus esset, transfiguntur. Gracchum iam nudatum praesidio vivum capere Poeni nituntur; ceterum conspicatus Lucanum hospitem inter hostes, adeo infestus confertos invasit ut parci ei sine multorum pernicie non posset. exanimem eum Mago extemplo ad Hannibalem misit ponique cum captis simul fascibus ante tribunal imperatoris iussit.

Liv. 25. 16. 17-24.

LXXXVII

(*At Astura about three months after Tullia's death.* 45 B.C.)

quod scribis te vereri ne et gratia et auctoritas nostra hoc meo maerore minuatur, ego quid homines aut reprehendant aut postulent nescio. ne doleam? qui potest? ne iaceam? quis umquam minus? dum tua me domus levabat, quis a me exclusus est . . .? Asturam sum a te profectus: legere isti laeti qui me reprehendunt tam multa non possunt quam ego scripsi. quam bene nihil ad rem: sed genus scribendi id fuit quod nemo abiecto animo facere posset. triginta dies in hortis fui: quis aut congressum meum aut facilitatem sermonis desideravit? nunc ipsum ea lego, ea scribo, ut ii qui mecum sunt difficilius otium ferant quam ego laborem. si quis requirit cur Romae non sim: "quia discessus est"; cur non sim in iis meis praediolis quae sunt huius temporis: "quia frequentiam illam non facile ferrem." ibi sum igitur ubi is qui optimas Baias habebat quotannis hoc tempus consumere solebat. cum Romam venero, nec vultu nec oratione reprehendar. hilaritatem illam qua hanc tristitiam temporum condiebam, in perpetuum amisi; constantia et firmitas nec animi nec orationis requiretur. . . . quod quaeris quam diu hic, paucos dies. sed certum non habeo. simul ac constituero, ad te scribam, et tu ad me quam diu in suburbano sis futurus. quo die ego ad te haec misi, de Pilia et Attica mihi quoque eadem quae scribis et scribuntur et nuntiantur.

Cic. *Att.* 12. 40. 2 f, 5.

LXXXVIII

M. Cicero sub adventum triumvirorum urbe cesserat pro certo habens, id quod erat, non magis se Antonio eripi quam Caesari Cassium et Brutum posse. primo in Tusculanum fugerat, inde transversis itineribus in Formianum ut ab Caieta navem conscensurus proficiscitur. unde aliquoties in altum provectum cum modo venti adversi rettulissent, modo ipse iactationem navis caeco volvente fluctu pati non posset, taedium tandem eum et fugae et vitae cepit, regressusque ad superiorem villam, quae paulo plus mille passibus a mari abest, "moriar" inquit "in patria saepe servata." satis constat servos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum: ipsum deponi lecticam et quietos pati quod sors iniqua cogeret iussisse. prominenti ex lectica praebentique inmotam cervicem caput praecisum est. nec satis stolidae crudelitati militum fuit; manus quoque, scripsisse in Antonium exprobrantes, praeciderunt. ita relatum caput ad Antonium iussuque eius inter duas manus in rostris positum, ubi ille consul, ubi saepe consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium quanta nulla umquam humana vox cum admiratione eloquentiae auditus fuerat. vix attollentes prae lacrimis oculos homines intueri trucidata membra civis poterant.

Liv. *fr.* 60.

LXXXIX

consuetudinis magna vis est. pernoctant venatores in nive in montibus, uri se patiuntur Indi, pugiles caestibus contusi ne ingemescunt quidem. sed quid hos, quibus Olympiorum victoria consulatus ille antiquus videtur? gladiatores, aut perditi homines aut barbari, quas plagas perferunt! quo modo illi qui bene instituti sunt accipere plagam malunt quam turpiter vitare! quam saepe apparet nihil eos malle quam vel domino satis facere vel populo! mittunt etiam volneribus confecti ad dominos qui quaerant quid velint; si satis iis factum sit, se velle decumbere. quis mediocris gladiator ingemuit, quis voltum mutavit umquam? quis non modo stetit verum etiam decubuit turpiter? quis cum decubuisset, ferrum recipere iussus collum contraxit? tantum exercitatio meditatio consuetudo valet. ergo hoc poterit

Samnis, spurcus homo, vita illa dignus locoque,

vir natus ad gloriam ullam partem animi tam mollem habebit quam non meditatione et ratione conroboret? crudele gladiatorum spectaculum et inhumanum non nullis videri solet, et haud scio an ita sit, ut nunc fit. cum vero sontes ferro depugnabant, auribus fortasse multae, oculis quidem nulla poterat esse fortior contra dolorem et mortem disciplina.

Cic. *Tusc. disp.* 2. 17. 40 f.

XC

Romae interim, satis iam omnibus ut in tali re ad tuendam arcem compositis, turba seniorum domos regressi adventum hostium obstinato ad mortem animo exspectabant. qui eorum curules gesserant magistratus, ut in fortunae pristinae honorumque ac virtutis insignibus morerentur, quae augustissima vestis est tensas ducentibus triumphantibusve, ea vestiti medio aedium eburneis sellis sedere. Galli et quia interposita nocte a contentione pugnae remiserant animos et quod nec in acie ancipiti usquam certaverant proelio nec tum impetu aut vi capiebant urbem, sine ira sine ardore animorum ingressi postero die urbem patente Collina porta, in forum perveniunt circumferentes oculos ad templa deum arcemque solam belli speciem tenentem. . . . ubi eos plebis aedificiis obseratis, patentibus atriis principum, maior prope cunctatio tenebat aperta quam clausa invadendi: adeo haud secus quam venerabundi intuebantur in aedium vestibulis sedentes viros praeter ornatum habitumque humano augustiorem maiestate etiam, quam vultus gravitasque oris prae se ferebat, simillimos dis. ad eos velut ad simulacra versi cum starent, M. Papirius, unus ex iis, dicitur Gallo, barbam suam, ut tum omnibus promissa erat, permulcenti, scipione eburneo in caput incusso iram movisse, atque ab eo initium caedis ortum, ceteros in sedibus suis trucidatos; post principum caedem nulli deinde mortalium parci, diripi tecta, exhaustis inici ignes.

Liv. 5. 41, omitting § 3.

XCI

(45 B.C.)

CICERO S. D. CORNIFICIO COLLEGAE.

quod extremum fuit in ea epistola quam a te proxime accepi, ad id primum respondebo; animum advorti enim hoc vos magnos oratores facere nonnumquam. epistolas requiris meas; ego autem numquam cum mihi denuntiatum esset a tuis ire aliquem non dedi. quod mihi videor ex tuis litteris intellegere, te nihil commissurum esse temere nec ante quam scisses quo iste nescio qui Caecilius Bassus erumperet, quicquam certi constituturum, id ego et speraram prudentia tua fretus et ut confiderem fecerunt tuae gratissimae mihi litterae; idque ut facias quam saepissime, ut et quid tu agas et quid agatur scire possim et etiam quid acturus sis, valde te rogo. etsi periniquo patiebar animo te a me digredi, tamen eo tempore me consolabar quod et in summum otium te ire arbitrabar et ab impendentibus magnis negotiis discedere. utrumque contra accidit. istic enim bellum est exortum, hic pax consecuta; sed tamen eius modi pax in qua si adesses multa te non delectarent, ea tamen quae ne ipsum Caesarem quidem delectant. bellorum enim civilium ii semper exitus sunt ut non ea solum fiant quae velit victor, sed etiam ut iis mos gerendus sit quibus adiutoribus sit parta victoria.

Cic. *fam.* 12. 18. 1-2.

XCII

Axio admiranti "certe nosti," inquam, "materterae meae fundum, in Sabinis qui est ad quartum vicesimum lapidem via Salaria a Roma." "quidni?" inquit, "ubi aestate diem meridie dividere soleam, cum eo Reate ex urbe, aut cum inde venio hieme, noctu ponere castra." "atqui in hac villa qui est ornithon, ex eo uno quinque milia scio venisse turdorum denariis ternis, ut sexaginta milia ea pars reddiderit eo anno villae, bis tantum quam tuus fundus ducentum iugerum Reate reddit." "quid? sexaginta," inquit Axius, "sexaginta, sexaginta? derides." "sexaginta," inquam. "sed ad hunc bolum ut pervenias, opus erit tibi aut epulum aut triumphus alicuius, ut tunc fuit Scipionis Metelli, aut collegiorum cenae, quae nunc innumerabiles excandefaciunt annonam macelli. reliquis annis omnibus et hanc exspectabis summam et, spero, non tibi decoquet ornithon. neque hoc accidit his moribus nisi raro, ut decipiaris. quotus quisque enim est annus, quo non videas epulum aut triumphum aut collegia epulari?" "sed propter luxuriam," inquit, "quodam modo epulum cotidianum est intra ianuas Romae."

Varro *r.r.* 3. 2. 14-16.

XCIII

". . . sed, ut ad rem redeam, non sum tanto ego," inquit, "ingenio, quanto Themistocles fuit, ut oblivionis artem quam memoriae malim; gratiamque habeo Simonidi illi Cio, quem primum ferunt artem memoriae protulisse. dicunt enim cum cenaret Crannone in Thessalia Simonides apud Scopam fortunatum hominem et nobilem cecinissetque id carmen quod in eum scripsisset, in quo multa ornandi causa poetarum more in Castorem scripta et Pollucem fuissent, nimis illum sordide Simonidi dixisse se dimidium eius ei quod pactus esset pro illo carmine daturum; reliquum a suis Tyndaridis, quos aeque laudasset, peteret si ei videretur. paulo post esse ferunt nuntiatum Simonidi ut prodiret; iuvenes stare ad ianuam duo quosdam qui eum magno opere vocarent; surrexisse illum, prodisse, vidisse neminem. hoc interim spatio conclave illud ubi epularetur Scopas concidisse; ea ruina ipsum cum cognatis oppressum suis interisse: quos cum humare vellent sui neque possent obtritos internoscere ullo modo, Simonides dicitur ex eo quod meminisset quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator unius cuiusque sepeliendi fuisse; hac tum re admonitus invenisse fertur ordinem esse maxime qui memoriae lumen adferret."

Cic. *de or.* 2. 86. 351-3.

XCIV

si privati tantum modo ad suadendum dissuadendumque id quod ab nobis rogatur processissent, ego quoque, cum satis dictum pro utraque parte existimarem, tacitus suffragia vestra exspectassem. nunc cum vir gravissimus, consul M. Porcius, non auctoritate solum, quae tacita satis momenti habuisset, sed oratione etiam longa et accurata insectatus sit rogationem nostram, necesse est paucis respondere. qui tamen plura verba in castigandis matronis quam in rogatione nostra dissuadenda consumpsit, et quidem ut in dubio poneret utrum id quod reprenderet matronae sua sponte an nobis auctoribus fecissent. rem defendam, non nos, in quos iecit magis hoc consul verbo tenus quam ut re insimularet. coetum et seditionem et interdum secessionem muliebrem appellavit quod matronae in publico vos rogassent ut legem in se latam per bellum temporibus duris in pace et florenti ac beata re publica abrogaretis. verba magna quae rei augendae causa conquirantur et haec et alia esse scio, et M. Catonem oratorem non solum gravem sed interdum etiam trucem esse scimus omnes, cum ingenio sit mitis. nam quid tandem novi matronae fecerunt quod frequentes in causa ad se pertinente in publicum processerunt? numquam ante hoc tempus in publico apparuerunt? tuas adversus te Origines revolvam. accipe quotiens id fecerint, et quidem semper bono publico.

Liv. 34. 5. 1-8.

XCV

nam in Tusculano cum essem vellemque e bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris uti, veni in eius villam ut eos ipse, ut solebam, depromerem. quo cum venissem, M. Catonem, quem ibi esse nescieram, vidi in bibliotheca sedentem multis circumfusum Stoicorum libris. erat enim, ut scis, in eo aviditas legendi, nec satiari poterat; quippe qui ne reprehensionem quidem vulgi inanem reformidans, in ipsa curia soleret legere saepe, dum senatus cogeretur, nihil operae rei publicae detrahens; quo magis tum in summo otio maximaque copia quasi helluari libris, si hoc verbo in tam clara re utendum est, videbatur. quod cum accidisset, ut alter alterum necopinato videremus, surrexit statim. deinde prima illa quae in congressu solemus: "quid tu," inquit, "huc? a villa enim credo," et "si ibi te esse scissem, ad te ipse venissem." "heri," inquam, "ludis commissis ex urbe profectus veni ad vesperum. causa autem fuit huc veniendi ut quosdam hinc libros promerem. et quidem, Cato, hanc totam copiam iam Lucullo nostro notam esse oportebit; nam his libris eum malo quam reliquo ornatu villae delectari. est enim mihi magnae curae (quamquam hoc quidem proprium tuum munus est) ut ita erudiatur ut et patri et Caepioni nostro et tibi tam propinquo respondeat."

Cic. *de fin.* 3. 2. 7 f.

XCVI

magnum proventum poetarum annus hic attulit. toto mense Aprili nullus fere dies quo non recitaret aliquis. iuvat me quod vigent studia, proferunt se ingenia hominum et ostentant, tametsi ad audiendum pigre coitur. plerique in stationibus sedent tempusque audiendi fabulis conterunt ac subinde sibi nuntiari iubent an iam recitator intraverit, an dixerit praefationem, an ex magna parte evolverit librum: tunc demum, ac tunc quoque lente cunctanterque veniunt; nec tamen permanent, sed ante finem recedunt, alii dissimulanter et furtim, alii simpliciter et libere. at hercule memoria parentum Claudium Caesarem ferunt, cum in palatio spatiaretur audissetque clamorem, causam requisisse, cumque dictum esset recitare Nonianum, subitum recitanti inopinatumque venisse. nunc otiosissimus quisque multo ante rogatus et identidem admonitus aut non venit aut, si venit, queritur se diem quia non perdiderit perdidisse. sed tanto magis laudandi probandique sunt quos a scribendi recitandique studio haec auditorum vel desidia vel superbia non retardat. equidem prope nemini defui. erant sane plerique amici: neque enim est fere quisquam qui studia ut non simul et nos amet.

Plin. *ep.* I. 13. 1-5.

XCVII

(*From a Roman leader's address to a gathering of Gauls*)

terram vestram ceterorumque Gallorum ingressi sunt duces imperatoresque Romani nulla cupidine sed maioribus vestris invocantibus, quos discordiae usque ad exitium fatigabant, et acciti auxilio Germani sociis pariter atque hostibus servitutem inposuerant. quot proeliis adversus Cimbros Teutonosque quantis exercituum nostrorum laboribus quove eventu Germanica bella tractaverimus, satis clarum. nec ideo Rhenum insedimus ut Italiam tueremur, sed ne quis alius Ariovistus regno Galliarum poteretur. an vos cariores Civili Batavisque et Transrhenanis gentibus creditis quam maioribus eorum patres avique vestri fuerunt? eadem semper causa Germanis transcendendi in Gallias, libido atque avaritia et mutandae sedis amor, ut relictis paludibus et solitudinibus suis fecundissimum hoc solum vosque ipsos possiderent. ceterum libertas et speciosa nomina praetexuntur; nec quisquam alienum servitium et dominationem sibi concupivit ut non eadem ista vocabula usurparet.

regna bellaque per Gallias semper fuere donec in nostrum ius concederetis. nos, quamquam totiens lacessiti, iure victoriae id solum vobis addidimus quo pacem tueremur. nam neque quies gentium sine armis neque arma sine stipendiis neque stipendia sine tributis haberi queunt. cetera in communi sita sunt. ipsi plerumque legionibus nostris praesidetis, ipsi has aliasque provincias regitis. nihil separatum clausumve.

Tac. *hist.* 4. 73 f.

XCVIII

hominem ingeniosum M. Antonium aiunt solitum esse dicere idcirco se nullam umquam orationem scripsisse ut si quid aliquando non opus esset ab se esse dictum posset negare dixisse: proinde quasi si quid a nobis dictum aut actum sit, id nisi litteris mandarimus hominum memoria non comprehendatur. ego vero in isto genere libentius cum multorum tum hominis eloquentissimi et sapientissimi, L. Crassi, auctoritatem sequor; qui cum Cn. Plancum defenderet, accusante M. Bruto, homine in dicendo vehementi et callido, cum Brutus duobus recitatoribus constitutis ex duabus eius orationibus capita alterna inter se contraria recitanda curasset, quod in dissuasione rogationis eius quae contra coloniam Narbonensem ferebatur quantum potest de auctoritate senatus detrahit, in suasione legis Serviliae summis ornat senatum laudibus, et multa in equites Romanos cum ex ea oratione asperius dicta recitasset, quo animi illorum iudicum in Crassum incenderentur, aliquantum esse commotus dicitur. itaque in respondendo primum exposuit utriusque rationem temporis, ut oratio ex re et ex causa habita videretur, deinde ut intellegere posset Brutus quem hominem, et non solum qua eloquentia verum etiam quo lepore et quibus facetiis praeditum, lacessisset, tres ipse excitavit recitatores cum singulis libellis quos M. Brutus pater illius accusatoris de iure civili reliquit.

Cic. *Clu.* 50. 140–51. 141.

XCIX

P. Scipioni Africano, ut Valerius Antias auctor est, duo Q. Petillii diem dixerunt. id prout cuiusque ingenium erat interpretabantur. alii non tribunos plebis sed universam civitatem quae id pati posset incusabant. duas maximas orbis terrarum urbes ingratas uno prope tempore in principes inventas, Romam ingratiorem, si quidem victa Carthago victum Hannibalem in exilium expulisset, Roma victrix victorem Africanum expellat. alii neminem unum tantum eminere civem debere ut legibus interrogari non possit. nihil tam aequandae libertatis esse quam potentissimum quemque posse dicere causam. quid autem tuto cuiquam, nedum summam rem publicám, permitti, si ratio non sit reddenda? qui ius aequum pati non possit, in eum vim haud iniustam esse. haec agitata sermonibus donec dies causae dicendae venit. nec alius antea quisquam nec ille ipse Scipio consul censorve maiore omnis generis hominum frequentia quam reus illo die in forum est deductus. iussus dicere causam sine ulla criminum mentione orationem adeo magnificam de rebus ab se gestis est exorsus, ut satis constaret neminem umquam neque melius neque verius laudatum esse. dicebantur enim ab eodem animo ingenioque a quo gesta erant, et aurium fastidium aberat quia pro periculo non in gloriam referebantur.

Liv. 38. 50. 5-12.

C

(*The trial of Scipio Africanus, the Elder*)

orationibus in noctem perductis prodicta dies est. ubi ea venit, tribuni in rostris prima luce consederunt. citatus reus magno agmine amicorum clientiumque per mediam contionem ad rostra subiit silentioque facto "hoc" inquit "die, tribuni plebis vosque Quirites, cum Hannibale et Carthaginiensibus signis collatis in Africa bene ac feliciter pugnavi. itaque cum hodie litibus et iurgiis supersederi aequum sit, ego hinc extemplo in Capitolium ad Iovem optimum maximum Iunonemque et Minervam ceterosque deos qui Capitolio atque arci praesident, salutandos ibo hisque gratias agam quod mihi et hoc ipso die et saepe alias egregie gerendae rei publicae mentem facultatemque dederunt. vestrum quoque quibus commodum est, Quirites, ite mecum et orate deos ut mei similes principes habeatis, ita, si ab annis septemdecim ad senectutem semper vos aetatem meam honoribus vestris anteistis, ego vestros honores rebus gerendis praecessi." ab rostris in Capitolium ascendit. simul se universa contio avertit et secuta Scipionem est, adeo ut postremo scribae viatoresque tribunos relinquerent, nec cum iis praeter servilem comitatum et praeconem qui reum ex rostris citabat quisquam esset.

Liv. 38. 51. 5-12.

CI

Q. Mucius augur multa narrare de C. Laelio socero suo memoriter et iucunde solebat nec dubitare illum in omni sermone appellare sapientem. ego autem a patre ita eram deductus ad Scaevolam sumpta virili toga ut quoad possem et liceret a senis latere numquam discederem. itaque multa ab eo prudenter disputata, multa etiam breviter et commode dicta memoriae mandabam, fierique studebam eius prudentia doctior. quo mortuo me ad pontificem Scaevolam contuli, quem unum nostrae civitatis et ingenio et iustitia praestantissimum audeo dicere. sed de hoc alias, nunc redeo ad augurem. cum saepe multa, tum memini domi in hemicyclio sedentem ut solebat, cum et ego essem una et pauci admodum familiares, in eum sermonem illum incidere qui tum fere multis erat in ore. meministi enim profecto, Attice, et eo magis quod P. Sulpicio utebare multum, cum is tribunus plebis capitali odio a Q. Pompeio, qui tum erat consul, dissideret, quocum coniunctissime et amantissime vixerat, quanta esset hominum vel admiratio vel querella. itaque tum Scaevola, cum in eam ipsam mentionem incidisset, exposuit nobis sermonem Laeli de amicitia habitum ab illo secum et cum altero genero C. Fannio Marci filio paucis diebus post mortem Africani.

Cic. *Lael.* (*de am.*) I. 1-3.

CII

nec quisquam defendere audebat, crebris multorum minis restinguere prohibentium, et quia alii palam faces iaciebant atque esse sibi auctorem vociferabantur, sive ut raptus licentius exercerent seu iussu.

eo in tempore Nero Antii agens non ante in urbem regressus est quam domui eius, qua Palatium et Maecenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret. neque tamen sisti potuit quin et Palatium et domus et cuncta circum haurirentur. sed solacium populo exturbato ac profugo campum Martis ac monumenta Agrippae, hortos quin etiam suos patefecit, et subitaria aedificia exstruxit quae multitudinem inopem acciperent; subvectaque utensilia ab Ostia et propinquis municipiis, pretiumque frumenti minutum usque ad ternos nummos. quae, quamquam popularia, in inritum cadebant quia pervaserat rumor ipso tempore flagrantis urbis inisse eum domesticam scaenam et cecinisse Troianum excidium, praesentia mala vetustis cladibus adsimulantem. sexto demum die apud imas Esquilias finis incendio factus prorutis per inmensum aedificiis, ut continuae violentiae campus et velut vacuum caelum occurreret. necdum positus metus et rediit haut levius rursum grassatus ignis, patulis magis urbis locis eoque strages hominum minor: delubra deum et porticus amoenitati dicatae latius procidere.

Tac. *ann.* 15. 38. 8–40. 2.

CIII

atque harum trium partium [*sc.* accusationis] prima illa, quae gravissima debebat esse, ita fuit infirma et levis ut illos lex magis quaedam accusatoria quam vera male dicendi facultas de vita L. Murenae dicere aliquid coegerit. obiecta est enim Asia; quae ab hoc non ad voluptatem et luxuriam expetita est sed in militari labore peragrata. qui si adulescens patre suo imperatore non meruisset, aut hostem aut patris imperium timuisse aut a parente repudiatus videretur. an, cum sedere in equis triumphantium praetextati potissimum filii soleant, huic donis militaribus patris triumphum decorare fugiendum fuit, ut rebus communiter gestis paene simul cum patre triumpharet? . . . et si habet Asia suspicionem luxuriae quandam, non Asiam numquam vidisse sed in Asia continenter vixisse laudandum est. quam ob rem non Asiae nomen obiciendum Murenae fuit, ex qua laus familiae, memoria generi, honos et gloria nomini constituta est, sed aliquod aut in Asia susceptum aut ex Asia deportatum flagitium ac dedecus. meruisse vero stipendia in eo bello quod tum populus Romanus non modo maximum sed etiam solum gerebat virtutis, patre imperatore libentissime meruisse pietatis, finem stipendiorum patris victoriam ac triumphum fuisse felicitatis fuit. maledicto quidem idcirco nihil in hisce rebus loci est quod omnia laus occupavit.

Cic. *Mur.* 5. 11 f.

CIV

(*From the speech of Gaius Memmius against the "Nobles"*)

multa me dehortantur a vobis, Quirites, ni studium rei publicae omnia superet: opes factionis, vestra patientia, ius nullum, ac maxume quod innocentiae plus periculi quam honoris est. nam illa quidem piget dicere, his annis quindecim quam ludibrio fueritis superbiae paucorum, quam foede quamque inulti perierint vestri defensores, ut vobis animus ab ignavia atque socordia conruptus sit, qui ne nunc quidem obnoxiis inimicis exsurgitis atque etiam nunc timetis eos quibus decet terrori esse. sed quamquam haec talia sunt, tamen obviam ire factionis potentiae animus subigit. certe ego libertatem, quae mihi a parente meo tradita est, experiar. verum id frustra an ob rem faciam, in vestra manu situm est, Quirites. neque ego vos hortor, quod saepe maiores vestri fecere, uti contra iniurias armati eatis. nihil vi, nihil secessione opus est: necesse est suomet ipsi more praecipites eant. occiso Ti. Graccho, quem regnum parare aiebant, in plebem Romanam quaestiones habitae sunt; post C. Gracchi et M. Fulvi caedem item vestri ordinis multi mortales in carcere necati sunt: utriusque cladis non lex verum lubido eorum finem fecit. sed sane fuerit regni paratio plebi sua restituere; quicquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, iure factum sit.

Sall. *Jug.* 31. 1-8.

CV

"ego memini T. Tincam Placentinum, hominem facetissimum, cum familiari nostro Q. Granio praecone dicacitate certare." "eon'," inquit Brutus, "de quo multa Lucilius?" "isto ipso; sed Tincam non minus multa ridicule dicentem Granius obruebat nescio quo sapore vernaculo; ut ego iam non mirer illud Theophrasto accidisse quod dicitur, cum percontaretur ex anicula quadam quanti aliquid venderet et respondisset illa atque addidisset 'hospes, non pote minoris,' tulisse eum moleste se non effugere hospitis speciem, cum aetatem ageret Athenis optimeque loqueretur omnium. sic, ut opinor, in nostris est quidam urbanorum, sicut illic Atticorum, sonus. sed domum redeamus, id est ad nostros revertamur.

duobus igitur summis, Crasso et Antonio, L. Philippus proximus accedebat, sed longo intervallo tamen proximus. itaque eum, etsi nemo intercedebat qui se illi anteferret, neque secundum tamen neque tertium dixerim. nec enim in quadrigis eum secundum numeraverim aut tertium qui vix e carceribus exierit cum palmam iam primus acceperit, nec in oratoribus qui tantum absit a primo vix ut in eodem curriculo esse videatur."

Cic. *Brut.* 46. 172–47. 173.

CVI

et senatui nimis atrox visa sententia est et plebem ira prope armavit: fame se iam sicut hostes peti, cibo victuque fraudari; peregrinum frumentum, quae sola alimenta ex insperato fortuna dederit, ab ore rapi, nisi Cn. Marcio vincti dedantur tribuni, nisi de tergo plebis Romanae satisfiat. eum sibi carnificem novum exortum, qui aut mori aut servire iubeat. in exeuntem e curia impetus factus esset, ni peropportune tribuni diem dixissent. ibi ira est suppressa: se iudicem quisque, se dominum vitae necisque inimici factum videbat. contemptim primo Marcius audiebat minas tribunicias: auxilii non poenae ius datum illi potestati, plebisque non patrum tribunos esse. sed adeo infensa erat coorta plebs, ut unius poena defungendum esset patribus. restiterunt tamen adversae invidiae usique sunt qua suis quisque qua totius ordinis viribus. ac primo temptata res est si dispositis clientibus absterrendo singulos a coitionibus conciliisque disicere rem possent. universi deinde processere—quidquid erat patrum reos diceres—precibus plebem exposcentes unum sibi civem, unum senatorem, si innocentem absolvere nollent, pro nocente donarent. ipse cum die dicta non adesset, perseveratum in ira est. damnatus absens in Volscos exulatum abiit minitans patriae hostilesque iam tum spiritus gerens.

Liv. 2. 35. 1-6.

CVII

(62 B.C.)

M. CICERO S. D. P. SESTIO L. F. PROQ.

cum ad me Decius librarius venisset egissetque mecum ut operam darem ne tibi hoc tempore succederetur, quamquam illum hominem frugi et tibi amicum existimabam, tamen quod memoria tenebam cuius modi ad me litteras antea misisses, non satis credidi hominis prudentis tuam tam valde esse mutatam voluntatem. sed postea quam et Cornelia tua Terentiam convenit et ego cum Q. Cornelio locutus sum, adhibui diligentiam quotiescumque senatus fuit ut adessem; plurimumque in eo negotii habui, ut Q. Fufium tribunum pl. et ceteros ad quos tu scripseras cogerem mihi potius credere quam tuis litteris. . . . ego tua gratulatione commotus, quod ad me pridem scripseras velle te bene evenire quod de Crasso domum emissem, emi eam ipsam domum HS xxxv aliquanto post tuam gratulationem. itaque nunc me scito tantum habere aeris alieni ut cupiam coniurare, si quisquam recipiat; sed partim odio inducti me excludunt et aperte vindicem coniurationis oderunt, partim mihi non credunt et a me insidias metuunt nec putant ei nummos deesse posse qui ex obsidione feneratores exemerit.

Cic. *fam.* 5. 6. 1 f.

CVIII

haec vociferante Horatio cum decemviri nec irae nec ignoscendi modum reperirent nec quo evasura res esset cernerent, C. Claudii, qui patruus Appii decemviri erat, oratio fuit precibus quam iurgio similior, orantis per sui fratris parentisque eius manes, ut civilis potius societatis, in qua natus esset, quam foederis nefarie icti cum conlegis meminisset. multo id magis se illius causa orare quam rei publicae; quippe rem publicam si a volentibus nequeat ab invitis ius expetituram; sed ex magno certamine magnas excitari ferme iras; earum eventum se horrere. cum aliud praeterquam de quo rettulissent decemviri dicere prohiberent, Claudium interpellandi verecundia fuit. sententiam igitur peregit nullum placere senatus consultum fieri. omnesque ita accipiebant, privatos eos a Claudio iudicatos; multique ex consularibus verbo adsensi sunt. alia sententia asperior in speciem vim minorem aliquanto habuit, quae patricios coire ad prodendum interregem iubebat. . . . ita labente iam causa decemvirorum L. Cornelius Maluginensis, M. Corneli decemviri frater, cum ex consularibus ad ultimum dicendi locum consulto servatus esset, simulando curam belli fratrem conlegasque eius tuebatur, quonam fato incidisset mirari se dictitans ut decemviros qui decemviratum petissent aut soli aut hi maxime oppugnarent.

Liv. 3. 40. 1-9.

CIX

MARCUS. quia, si verum dicimus, haec est mea et huius fratris mei germana patria; hic enim orti stirpe antiquissima sumus, hic sacra, hic genus, hic maiorum multa vestigia. quid plura? hanc vides villam, ut nunc quidem est, lautius aedificatam patris nostri studio, qui quom esset infirma valetudine, hic fere aetatem egit in litteris. sed hoc ipso in loco, quom avos viveret et antiquo more parva esset villa, ut illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum. quare inest nescio quid et latet in animo ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectet, siquidem etiam ille sapientissimus vir Ithacam ut videret inmortalitatem scribitur repudiasse.

ATTICUS. ego vero tibi istam iustam causam puto cur huc libentius venias atque hunc locum diligas; quin ipse, vere dicam, sum illi villae amicior modo factus atque huic omni solo, in quo tu ortus et procreatus es; movemur enim nescio quo pacto locis ipsis in quibus eorum quos diligimus aut admiramur adsunt vestigia.

Cic. *de legg.* 2. 1. 3–2. 4.

CX

ATTICUS (*continuing*) me quidem ipsae illae nostrae Athenae non tam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus delectant quam recordatione summorum virorum, ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi disputare sit solitus, studioseque eorum etiam sepulchra contemplor. quare istum ubi tu es natus plus amabo posthac locum.

MARCUS. gaudeo igitur me incunabula paene mea tibi ostendisse.

ATTICUS. equidem me cognosse admodum gaudeo. sed illud tamen quale est, quod paulo ante dixisti, hunc locum, id est, ut ego te accipio dicere, Arpinum, germanam patriam esse vestram? numquid duas habetis patrias? an est una illa patria communis? nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non Roma sed Tusculum.

MARCUS. ego mehercule et illi et omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturae, alteram civitatis; ut ille Cato, quom esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est; ita quom ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris.

Cic. *de legg.* 2. 2. 4-5.

CXI

ipse, ut ferme intuta sunt adversa, cum fidem Cartimanduae reginae Brigantum petivisset, vinctus ac victoribus traditus est, nono post anno quam bellum in Britannia coeptum. . . . ne Romae quidem ignobile Carataci nomen erat; et Caesar dum suum decus extollit addidit gloriam victo. vocatus quippe ut ad insigne spectaculum populus: stetere in armis praetoriae cohortes campo qui castra praeiacet. tunc incedentibus regiis clientelis phalerae torques quaeque bellis externis quaesiverat traducta, mox fratres et coniunx et filia, postremo ipse ostentatus. ceterorum preces degeneres fuere ex metu: at non Caratacus aut vultu demisso aut verbis misericordiam requirens, ubi tribunali adstitit, in hunc modum locutus est: "si quanta nobilitas et fortuna mihi fuit, tanta rerum prosperarum moderatio fuisset, amicus potius in hanc urbem quam captus venissem, neque dedignatus esses claris maioribus ortum, pluribus gentibus imperitantem foedere in pacem accipere. praesens sors mea ut mihi informis, sic tibi magnifica est. . . . at si incolumem servaveris, aeternum exemplar clementiae ero." ad ea Caesar veniam ipsique et coniugi et fratribus tribuit. atque illi vinclis absoluti Agrippinam quoque, haud procul alio suggestu conspicuam, isdem quibus principem laudibus gratibusque venerati sunt. novum sane et moribus veterum insolitum, feminam signis Romanis praesidere: ipsa semet parti a maioribus suis imperii sociam ferebat.

Tac. *ann.* 12. 36 f.

CXII

(*Written towards the end of* 44 B.C.)

Publium Scipionem, Marce fili, eum qui primus Africanus appellatus est, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit eius fere aequalis, numquam se minus otiosum esse quam cum otiosus, nec minus solum quam cum solus esset. magnifica vero vox et magno viro ac sapiente digna. quae declarat illum et in otio de negotiis cogitare et in solitudine secum loqui solitum, ut neque cessaret umquam et interdum conloquio alterius non egeret. ita duae res quae languorem adferunt ceteris illum acuebant, otium et solitudo. vellem nobis hoc idem vere dicere liceret, sed si minus imitatione tantam ingenii praestantiam consequi possumus, voluntate certe proxime accedimus. nam et a re publica forensibusque negotiis armis impiis vique prohibiti otium persequimur et ob eam causam urbe relicta rura peragrantes saepe soli sumus. sed nec hoc otium cum Africani otio nec haec solitudo cum illa comparanda est. ille enim requiescens a rei publicae pulcherrimis muneribus otium sibi sumebat aliquando et e coetu hominum frequentiaque interdum tamquam in portum se in solitudinem recipiebat. nostrum autem otium negotii inopia non requiescendi studio constitutum est. extincto enim senatu deletisque iudiciis quid est quod dignum nobis aut in curia aut in foro agere possimus? ita qui in maxima celebritate atque in oculis civium quondam vixerimus, nunc fugientes conspectum sceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos quantum licet et saepe soli sumus.

Cic. *de off.* 3. 1. 1-3.

CXIII

at Vitellius fractis apud Cremonam rebus nuntios cladis occultans stulta dissimulatione remedia potius malorum quam mala differebat. quippe confitenti consultantique supererant spes viresque: cum e contrario laeta omnia fingeret, falsis ingravescebat. mirum apud ipsum de bello silentium, prohibiti per civitatem sermones, eoque plures ac, si liceret, vere narraturi quia vetabantur atrociora vulgaverant. nec duces hostium augendae famae deerant, captos Vitellii exploratores circumductosque ut robora victoris exercitus noscerent remittendo. quos omnis Vitellius secreto percontatus interfici iussit. notabili constantia centurio Iulius Agrestis post multos sermones quibus Vitellium ad virtutem frustra accendebat, perpulit ut ad vires hostium spectandas quaeque apud Cremonam acta forent ipse mitteretur. nec exploratione occulta fallere Antonium temptavit, sed mandata imperatoris suumque animum professus ut cuncta viseret postulat. missi qui locum proelii, Cremonae vestigia, captas legiones ostenderent. Agrestis ad Vitellium remeavit abnuentique vera esse quae adferret atque ultro corruptum arguenti "quando quidem" inquit "magno documento opus est nec alius iam tibi aut vitae aut mortis meae usus, dabo cui credas." atque ita digressus voluntaria morte dicta firmavit. quidam iussu Vitellii interfectum, de fide constantiaque eadem tradidere.

Tac. *hist.* 3. 54.

CXIV

at hic etiam, id quod tibi necesse minime fuit, facetus esse voluisti, cum Tarquinium et Numam et me tertium peregrinum regem esse dixisti. mitto iam de rege quaerere; illud quaero, peregrinum cur me esse dixeris. nam si ita sum, non tam est admirandum regem me esse, quoniam, ut tu ais, etiam peregrini reges Romae fuerunt, quam consulem Romae fuisse peregrinum. "hoc dico," inquit, "te esse ex municipio." fateor, et addo etiam ex eo municipio unde iterum iam salus huic urbi imperioque missa est. sed scire ex te pervelim quam ob rem qui ex municipiis veniant peregrini tibi esse videantur. nemo istuc M. illi Catoni seni, cum plurimos haberet inimicos, nemo Ti. Coruncanio, nemo M'. Curio, nemo huic ipsi nostro C. Mario, cum ei multi inviderent, obiecit umquam. equidem vehementer laetor eum esse me in quem tu, cum cuperes, nullam contumeliam iacere potueris quae non ad maximam partem civium conveniret.

Cic. *Sull.* 7. 22 f.

CXV

[*The words in italics are added to make it possible to translate a corrupt passage which has not been satisfactorily emended*]

ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis adfecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. auctor nominis eius Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat; repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursum erumpebat, non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. igitur primum correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud proinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt. et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus adfixi aut *palis reservarentur* flammandi atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur. hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat et circense ludicrum edebat habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens. unde quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica sed in saevitiam unius absumerentur.

Tac. *ann.* 15. 44. 3-8.

CXVI

(*Cicero speaks of Archimedes*)

cuius ego quaestor ignoratum ab Syracusanis, cum esse omnino negarent, saeptum undique et vestitum vepribus et dumetis indagavi sepulcrum. tenebam enim quosdam senariolos quos in eius monumento esse inscriptos acceperam, qui declarabant in summo sepulcro sphaeram esse positam cum cylindro. ego autem cum omnia conlustrarem oculis (est enim ad portas Agragentinas magna frequentia sepulcrorum), animum adverti columellam non multum e dumis eminentem, in qua inerat sphaerae figura et cylindri. atque ego statim Syracusanis (erant autem principes mecum) dixi me illud ipsum arbitrari esse quod quaererem. inmissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum. quo cum patefactus esset aditus, ad adversam basim accessimus. apparebat epigramma exesis posterioribus partibus versiculorum dimidiatis fere. ita nobilissima Graeciae civitas, quondam vero etiam doctissima, sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset nisi ab homine Arpinate didicisset.

Cic. *Tusc. disp.* 5. 23. 64-66.

CXVII

(*Murder of Hieronymus King of Syracuse.* 215 B.C.)

sed omnia in eo [*sc.* Hieronymo] praecipitia ad exitium fuerunt. nam cum praemissis Hippocrate atque Epicyde cum binis milibus armatorum ad temptandas urbes quae praesidiis tenebantur Romanis, et ipse in Leontinos cum cetero omni exercitu—erant autem ad quindecim milia peditum equitumque—profectus erat, liberas aedes coniurati—et omnes forte militabant—imminentes viae angustae, qua descendere ad forum rex solebat, sumpserunt. ibi cum instructi armatique ceteri transitum exspectantes starent, uni ex eis—Dinomeni fuit nomen—quia custos corporis erat partes datae sunt ut cum adpropinquaret ianuae rex per causam aliquam in angustiis sustineret ab tergo agmen. ita ut convenerat factum est. tamquam laxaret elatum pedem ab stricto nodo moratus turbam Dinomenes tantum intervalli fecit ut, cum in praetereuntem sine armatis regem impetus fieret, confoderetur aliquot prius vulneribus quam succurri posset. clamore et tumultu audito in Dinomenem iam haud dubie obstantem tela coniciuntur, inter quae tamen duobus acceptis vulneribus evasit. fuga satellitum ut iacentem videre regem facta est. interfectores pars in forum ad multitudinem laetam libertate, pars Syracusas pergunt ad praeoccupanda Adranodori regiorumque aliorum consilia.

Liv. 24. 7. 1-7.

CXVIII

(53 B.C.)

M. CICERO S. D. C. CURIONI.

Rupae studium non defuit declarandorum munerum tuo nomine, sed nec mihi placuit nec cuiquam tuorum quidquam te absente fieri quod tibi cum venisses non esset integrum. equidem meam sententiam aut scribam ad te postea pluribus aut, ne ad eam meditere, imparatum te offendam coramque contra istam rationem meam dicam, ut aut te in meam sententiam adducam aut certe testatum apud animum tuum relinquam quid senserim ut, si quando—quod nolim—displicere tibi tuum consilium coeperit, possis meum recordari. brevi tamen sic habeto, in eum statum temporum tuum reditum incidere ut iis bonis quae tibi natura, studio, fortuna data sunt, facilius omnia quae sunt amplissima in re publica consequi possis quam muneribus, quorum neque facultatem quisquam admiratur—est enim copiarum non virtutis—neque quisquam est quin satietate iam defessus sit. sed aliter atque ostenderam facio, qui ingrediar ad explicandam rationem sententiae meae. qua re omnem hanc disputationem in adventum tuum differo. summa scito in exspectatione te esse eaque a te exspectari quae a summa virtute summoque ingenio exspectanda sunt. ad quae si es ut debes paratus—quod ita esse confido—plurimis maximisque muneribus et nos amicos et cives tuos universos et rem publicam adficies. illud cognosces profecto, mihi te neque cariorem neque iucundiorem esse quemquam.

Cic. *fam.* 2. 3.

CXIX

(Sabinus, brother of Vespasian, having taken refuge on the Capitol, is attacked by soldiers who adhere to Vitellius)

vixdum regresso in Capitolium Martiale furens miles aderat, nullo duce, sibi quisque auctor. cito agmine forum et inminentia foro templa praetervecti erigunt aciem per adversum collem usque ad primas Capitolinae arcis fores. erant antiquitus porticus in latere clivi dextrae subeuntibus; in quarum tectum egressi saxis tegulisque Vitellianos obruebant. neque illis manus nisi gladiis armatae, et arcessere tormenta aut missilia tela longum videbatur: faces in prominentem porticum iecere. et sequebantur ignem ambustasque Capitolii fores penetrassent, ni Sabinus revolsas undique statuas, decora maiorum, in ipso aditu vice muri obiecisset. tum diversos Capitolii aditus invadunt iuxta lucum asyli et qua Tarpeia rupes centum gradibus aditur. inprovisa utraque vis; propior atque acrior per asylum ingruebat. nec sisti poterant scandentes per coniuncta aedificia quae, ut in multa pace, in altum edita solum Capitolii aequabant. hic ambigitur ignem tectis obpugnatores iniecerint an obsessi, quae crebrior fama, dum nitentes ac progressos depellunt. inde lapsus ignis in porticus adpositas aedibus; mox sustinentes fastigium aquilae vetere ligno traxerunt flammam alueruntque. sic Capitolium clausis foribus indefensum et indireptum conflagravit.

Tac. *hist.* 3. 71.

CXX

(*Crassus speaks*)

Athenis iam diu doctrina ipsorum Atheniensium interiit, domicilium tantum in illa urbe remanet studiorum, quibus vacant cives, peregrini fruuntur capti quodam modo nomine urbis et auctoritate; tamen eruditissimos homines Asiaticos quivis Atheniensis indoctus non verbis sed sono vocis nec tam bene quam suaviter loquendo facile superabit. nostri minus student litteris quam Latini; tamen ex istis, quos nostis, urbanis, in quibus minimum est litterarum, nemo est quin litteratissimum togatorum omnium, Q. Valerium Soranum, lenitate vocis atque ipso oris pressu et sono facile vincat. qua re cum sit quaedam certa vox Romani generis urbisque propria, in qua nihil offendi nihil displicere nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum, hanc sequamur, neque solum rusticam asperitatem sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus. equidem cum audio socrum meam Laeliam—facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper quae prima didicerunt—sed eam sic audio ut Plautum mihi aut Naevium videar audire; sono ipso vocis ita recto et simplici est ut nihil ostentationis aut imitationis adferre videatur; ex quo sic locutum esse eius patrem iudico, sic maiores.

Cic. *de or.* 3. 11. 43–12. 45.

CXXI

quis enim ignorat et eloquentiam et ceteras artes descivisse ab illa vetère gloria non inopia hominum sed desidia iuventutis et neglegentia parentum et inscientia praecipientium et oblivione moris antiqui? quae mala primum in urbe nata, mox per Italiam fusa, iam in provincias manant. quamquam vestra vobis notiora sunt: ego de urbe et his propriis ac vernaculis vitiis loquar, quae natos statim excipiunt et per singulos aetatis gradus cumulantur, si prius de severitate ac disciplina maiorum circa educandos formandosque liberos pauca praedixero. nam pridem suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cella emptae nutricis sed in gremio ac sinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat tueri domum et inservire liberis. aut eligebatur maior aliqua natu propinqua cuius probatis spectatisque moribus omnis eiusdem familiae suboles committeretur; coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu neque facere quod inhonestum factu videretur. ac non studia modo curasque sed remissiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat. sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augusti matrem praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus. quae disciplina ac severitas eo pertinebat ut sincera et integra et nullis pravitatibus detorta unius cuiusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas, et sive ad rem militarem sive ad iuris scientiam sive ad eloquentiae studium inclinasset, id solum ageret, id universum hauriret.

Tac. *dial.* 28.

CXXII

(*Lucceius has written concerning Tullia's death and the political situation.* 45 B.C.)

quamquam ipsa consolatio litterarum tuarum mihi gratissima est—declarat enim summam benevolentiam coniunctam pari prudentia,—tamen illum fructum ex eis litteris vel maximum cepi, quod te praeclare res humanas contemnentem et optime contra fortunam paratum armatumque cognovi; quam quidem laudem sapientiae autumo esse maximam, non aliunde pendere nec extrinsecus aut bene aut male vivendi suspensas habere rationes. quae cogitatio cum mihi non omnino excidisset—etenim penitus insederat,—vi tamen tempestatum et concursu calamitatum erat aliquantum labefactata atque convulsa; cui te opitulari et video et id fecisse etiam proximis litteris multumque profecisse sentio. itaque hoc saepius dicendum tibique non significandum solum sed etiam declarandum arbitror, nihil mihi esse potuisse tuis litteris gratius. ad consolandum autem cum illa valent quae eleganter copioseque collegisti, tum nihil plus quam quod firmitudinem gravitatemque animi tui perspexi, quam non imitari turpissimum existimo. itaque hoc etiam fortiorem me puto quam te ipsum, praeceptorem fortitudinis, quod tu mihi videre spem non nullam habere haec aliquando futura meliora. . . . itaque alterum minus mirum fortiorem te esse cum aliquid speres, alterum mirum spe ulla teneri. quid est enim ita adfectum ut id non deletum exstinctumque esse fateare?

Cic. *fam.* 5. 13. 1-3.

CXXIII

Vitellius capta urbe per aversam Palatii partem in domum uxoris sellula defertur, ut, si diem latebra vitavisset, Tarracinam ad cohortes fratremque perfugeret. dein mobilitate ingenii et, quae natura pavoris est, cum omnia metuenti praesentia maxime displicerent, in Palatium regreditur vastum desertumque dilapsis etiam infimis servitiorum aut occursum eius declinantibus. terret solitudo et tacentes loci. temptat clausa, inhorrescit vacuis; fessusque misero errore et pudenda latebra semet occultans ab Iulio Placido tribuno cohortis protrahitur. vinctae pone tergum manus. laniata veste foedum spectaculum ducebatur, multis increpantibus nullo inlacrimante. deformitas exitus misericordiam abstulerat. obvius e Germanicis militibus Vitellium infesto ictu per iram vel quo maturius ludibrio eximeret, an tribunum adpetierit, in incerto fuit. aurem tribuni amputavit ac statim confossus est. Vitellium infestis mucronibus coactum modo erigere os et offerre contumeliis nunc cadentes statuas suas plerumque rostra aut Galbae occisi locum contueri, postremo ad Gemonias, ubi corpus Flavii Sabini iacuerat, propulere. una vox non degeneris animi excepta, cum tribuno insultanti se tamen imperatorem eius fuisse respondit; ac deinde ingestis volneribus concidit. et volgus eadem pravitate insectabatur interfectum, qua foverat viventem.

Tac. *hist.* 3. 84 f.

CXXIV

Fabricius Pyrrhi regis aurum reppulit maiusque regno iudicavit regias opes posse contemnere. idem medico Pyrrhi promittente venenum se regi daturum monuit Pyrrhum caveret insidias. eiusdem animi fuit auro non vinci, veneno non vincere. admirati sumus ingentem virum, quem non regis non contra regem promissa flexissent, boni exempli tenacem, quod difficillimum est in bello innocentem, qui aliquod esse crederet etiam in hostes nefas, qui in summa paupertate, quam sibi decus fecerat, non aliter refugit divitias quam venenum. "vive," inquit, "beneficio meo, Pyrrhe, et gaude, quod adhuc dolebas, Fabricium non posse corrumpi." Horatius Cocles solus inplevit pontis angustias adimique a tergo sibi reditum, dummodo iter hosti auferretur, iussit, et tam diu prementibus restitit donec revulsa ingenti ruina tigna sonuerunt. postquam respexit et extra periculum esse patriam periculo suo sensit, "veniat si quis vult," inquit, "sic euntem sequi" iecitque se in praeceps; et non minus sollicitus in illo rapido alveo fluminis ut armatus quam ut salvus exiret, retento armorum victricium decore tam tutus rediit quam si ponte venisset. haec et huiusmodi facta imaginem nobis ostendere virtutis.

Seneca *ep.* 120. 6 ff.

CXXV

similemne putas C. Laelii unum consulatum fuisse, et eum quidem cum repulsa (si, cum sapiens et bonus vir, qualis ille fuit, suffragiis praeteritur, non populus potius quam ille repulsam fert)—sed tamen utrum malles te, si potestas esset, semel ut Laelium consulem an ut Cinnam quater? . . . Laelius si digito quem attigisset, poenas dedisset; at Cinna collegae sui, consulis Cn. Octavii, praecidi caput iussit, P. Crassi, L. Caesaris, nobilissimorum hominum, quorum virtus fuerat domi militiaeque cognita, M. Antonii, omnium eloquentissimi quos ego audierim, C. Caesaris, in quo mihi videtur specimen fuisse humanitatis salis suavitatis leporis. beatusne igitur qui hos interfecit? mihi contra non solum eo videtur miser quod ea fecit, sed etiam quod ita se gessit ut ea facere ei liceret. etsi peccare nemini licet, sed sermonis errore labimur; id enim licere dicimus quod cuique conceditur. utrum tandem beatior C. Marius tum cum Cimbricae victoriae gloriam cum collega Catulo communicavit, paene altero Laelio (nam hunc illi duco simillimum), an cum civili bello victor iratus necessariis Catuli deprecantibus non semel respondit sed saepe "moriatur"? in quo beatior ille qui huic nefariae voci paruit quam is qui tam scelerate imperavit. nam cum accipere quam facere praestat iniuriam, tum morti iam ipsi adventanti paulum procedere obviam, quod fecit Catulus, quam quod Marius, talis viri interitu sex suos obruere consulatus et contaminare extremum tempus aetatis.

Cic. *Tusc. disp.* 5. 19. 54-6.

CXXVI

at Vespasiano post Cremonensem pugnam et prosperos undique nuntios, cecidisse Vitellium multi cuiusque ordinis, pari audacia fortunaque hibernum mare adgressi, nuntiavere. aderant legati regis Vologesi quadraginta milia Parthorum equitum offerentes. magnificum laetumque tantis sociorum auxiliis ambiri neque indigere. gratiae Vologeso actae mandatumque ut legatos ad senatum mitteret et pacem esse sciret. Vespasianus in Italiam resque urbis intentus adversam de Domitiano famam accipit, tamquam terminos aetatis et concessa filio egrederetur. igitur validissimam exercitus partem Tito tradit ad reliqua Iudaici belli perpetranda. Titum antequam digrederetur multo apud patrem sermone orasse ferunt ne criminantium nuntiis temere accenderetur integrumque se ac placabilem filio praestaret. non legiones non classes perinde firma imperii munimenta quam numerum liberorum. nam amicos tempore fortuna cupidinibus aliquando aut erroribus imminui transferri desinere; suum cuique sanguinem indiscretum, sed maxime principibus, quorum prosperis et alii fruantur, adversa ad iunctissimos pertineant. ne fratribus quidem mansuram concordiam ni parens exemplum praebuisset. Vespasianus haud aeque Domitiano mitigatus quam Titi pietate gaudens, bono esse animo iubet belloque et armis rem publicam attollere: sibi pacem domumque curae fore.

Tac. *hist.* 4. 51 f.

CXXVII

(46 B.C.)

itaque illam tuam praeclarissimam et sapientissimam vocem invitus audivi: "satis diu vel naturae vixi vel gloriae." satis, si ita vis, fortasse naturae, addo etiam, si placet, gloriae; at, quod maximum est, patriae certe parum. quare omitte istam, quaeso, doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam, noli nostro periculo esse sapiens. saepe enim venit ad aures meas te idem istud nimis crebro dicere, tibi satis te vixisse. credo; sed tum id audirem si tibi soli viveres aut si tibi etiam soli natus esses. omnium salutem civium cunctamque rem publicam res tuae gestae complexae sunt; tantum abes a perfectione maximorum operum ut fundamenta nondum quae cogitas ieceris. hic tu modum vitae tuae non salute rei publicae sed aequitate animi definies? quid si istud ne gloriae quidem satis est? cuius te esse avidissimum, quamvis sis sapiens, non negabis. "parumne igitur," inquies, "magna relinquemus?" immo vero aliis quamvis multis satis, tibi uni parum. quicquid est enim, quamvis amplum sit, id est parum tum cum est aliquid amplius. quodsi rerum tuarum inmortalium, C. Caesar, hic exitus futurus fuit, ut devictis adversariis rem publicam in eo statu relinqueres in quo nunc est, vide quaeso ne tua divina virtus admirationis plus sit habitura quam gloriae, si quidem gloria est inlustris ac pervagata magnorum vel in suos cives vel in patriam vel in omne genus hominum fama meritorum. haec igitur tibi reliqua pars est, hic restat actus, in hoc elaborandum est, ut rem publicam constituas, eaque tu in primis summa tranquillitate et otio perfruare.

Cic. *pro. Marcell.* 8. 25–9. 27.

CXXVIII

omne hoc tempus inter pugillares ac libellos iucundissima quiete transmisi. "quemadmodum" inquis "in urbe potuisti?" circenses erant, quo genere spectaculi ne levissime quidem teneor. nihil novum, nihil varium, nihil quod non semel spectasse sufficiat. quo magis miror tot milia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos insistentes curribus homines videre. si tamen aut velocitate equorum aut hominum arte traherentur, esset ratio non nulla. nunc favent panno, pannum amant, et si in ipso cursu medioque certamine hic color illuc, ille huc transferatur, studium favorque transibit, et repente agitatores illos, equos illos, quos procul noscitant, quorum clamitant nomina, relinquent. tanta gratia, tanta auctoritas in una vilissima tunica, mitto apud vulgus, quod vilius tunica, sed apud quosdam graves homines; quos ego cum recordor in re inani frigida adsidua tam insatiabiliter desidere, capio aliquam voluptatem quod hac voluptate non capior. ac per hos dies libentissime otium meum in litteris conloco, quos alii otiosissimis occupationibus perdunt. vale.

Plin. *ep.* 9. 6.

CXXIX

tum Brutus "quid tu," inquit, "quaeris alios? de te ipso nonne quid optarent rei, quid ipse Hortensius iudicaret videbamus? qui cum partiretur tecum causas—saepe enim interfui—perorandi locum, ubi plurimum pollet oratio, semper tibi relinquebat." "faciebat ille quidem," inquam, "et mihi benevolentia, credo, ductus tribuebat omnia. sed ego quae de me populi sit opinio nescio; de reliquis hoc adfirmo, qui vulgi opinione disertissimi habiti sint, eosdem intellegentium quoque iudicio fuisse probatissimos. nec enim posset idem Demosthenes dicere quod dixisse Antimachum clarum poetam ferunt. qui cum convocatis auditoribus legeret eis magnum illud quod novistis volumen suum et eum legentem omnes praeter Platonem reliquissent, 'legam' inquit 'nihilo minus. Plato enim mihi unus instar est centum milium.' et recte. poema enim reconditum paucorum approbationem, oratio popularis adsensum vulgi debet movere. at si eundem hunc Platonem unum auditorem haberet Demosthenes, cum esset relictus a ceteris, verbum facere non posset. quid tu, Brute? possesne, si te ut Curionem quondam contio reliquisset?" "ego vero," inquit ille, "ut me tibi indicem, in eis etiam causis in quibus omnis res nobis cum iudicibus est, non cum populo, tamen, si a corona relictus sim, non queam dicere." "ita se," inquam, "res habet. ut si tibiae inflatae non referant sonum, abiciendas eas sibi tibicen putet, sic oratori populi aures tamquam tibiae sunt. eae si inflatum non recipiunt—aut si auditor omnino tamquam equus non facit, agitandi finis faciendus est."

Cic. *Brut.* 51. 190-2.

CXXX

per eos menses quibus Vespasianus Alexandriae statos aestivis flatibus dies et certa maris opperiebatur, multa miracula evenere, quis caelestis favor et quaedam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur. e plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus genua eius advolvitur, remedium caecitatis exposcens gemitu, monitu Serapidis dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit; precabaturque principem ut genas et oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. alius manum aeger eodem deo auctore ut pede ac vestigio Caesaris calcaretur orabat. Vespasianus primo inridere, aspernari; atque illis instantibus modo famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum et vocibus adulantium in spem induci; postremo aestimari a medicis iubet an talis caecitas ac debilitas ope humana superabiles forent. medici varie disserere: huic non exesam vim luminis et redituram si pellerentur obstantia; illi elapsos in pravum artus si salubris vis adhibeatur posse integrari. id fortasse cordi deis et divino ministerio principem electum; denique patrati remedii gloriam penes Caesarem, inriti ludibrium penes miseros fore. igitur Vespasianus cuncta fortunae suae patere ratus nec quicquam ultra incredibile laeto ipse voltu, erecta quae adstabat multitudine, iussa exsequitur. statim conversa ad usum manus ac caeco reluxit dies. utrumque qui interfuere nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.

Tac. *hist.* 4. 81.

CXXXI

prope est a te deus, tecum est, intus est. ita dico, Lucili: sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos. hic prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. bonus vero vir sine deo nemo est. an potest aliquis supra fortunam nisi ab illo adiutus exsurgere? ille dat consilia magnifica et erecta. in unoquoque virorum bonorum "quis deus incertum est, habitat deus." si tibi occurrerit vetustis arboribus et solitam altitudinem egressis frequens lucus et conspectum caeli ramorum aliorum alios protegentium summovens obtentu, illa proceritas silvae et secretum loci et admiratio umbrae in aperto tam densae atque continuae fidem tibi numinis faciet. . . . magnorum fluminum capita veneramur. subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet; coluntur aquarum calentium fontes; et stagna quaedam vel opacitas vel inmensa altitudo sacravit. si hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa felicem, in mediis tempestatibus placidum, ex superiore loco homines videntem, ex aequo deos, non subibit te veneratio eius? non dices "ista res maior est altiorque quam ut credi similis huic in quo est corpusculo possit"? vis isto divina descendit. animum excellentem, moderatum, omnia tamquam minora transeuntem, quicquid timemus optamusque ridentem, caelestis potentia agitat. . . . itaque maiore sui parte illic est unde descendit.

Seneca *ep.* 41. 1-5.

CXXXII

hi ritus, quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur. cetera instituta, sinistra foeda, pravitate valuere. nam pessimus quisque spretis religionibus patriis tributa et stipes illuc congerebant; unde auctae Iudaeorum res, et quia apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed adversus omnes alios hostile odium. . . . augendae tamen multitudini consulitur; nam et necare quemquam ex natis nefas animosque proelio aut suppliciis peremptorum aeternos putant. hinc generandi amor et moriendi contemptus. corpora condire quam cremare e more Aegyptio; eademque est de infernis persuasio, caelestium contra. Aegyptii pleraque animalia effigiesque compositas venerantur, Iudaei mente sola unumque numen intellegunt: profanos qui deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant; summum illud et aeternum neque imitabile neque interiturum. igitur nulla simulacra urbibus suis nedum templis sistunt; non regibus haec adulatio, non Caesaribus honor. sed quia sacerdotes eorum tibia tympanisque concinebant, hedera vinciebantur vitisque aurea in templo reperta, Liberum patrem coli, domitorem Orientis, quidam arbitrati sunt, nequaquam congruentibus institutis. quippe Liber festos laetosque ritus posuit, Iudaeorum mos absurdus sordidusque.

Tac. *hist.* 5. 5.

CXXXIII

(*a*) vicinus meus est manuque tangi
de nostris Novius potest fenestris.
quis non invideat mihi putetque
horis omnibus esse me beatum,
iuncto cui liceat frui sodale?
tam longe est mihi quam Terentianus,
qui nunc Niliacam regit Syenen.
non convivere nec videre saltem,
non audire licet, nec urbe tota
quisquam est tam prope tam proculque nobis.
migrandum est mihi longius vel illi.
vicinus Novio vel inquilinus
sit si quis Novium videre non volt.

Mart. 1. 86.

(*b*) semper pauper eris si pauper es, Aemiliane.
dantur opes nulli nunc nisi divitibus.

id. 5. 81.

CXXXIV

(*Mars is speaking*)

conveniunt nuptae dictam Iunonis in aedem,
quas inter mea sic est nurus orsa loqui:
"o pariter raptae, quoniam hoc commune tenemus,
non ultra lentae possumus esse pie.
stant acies: sed utra di sint pro parte rogandi,
eligite: hinc coniunx, hinc pater arma tenet.
quaerendum est viduae fieri malitis an orbae.
consilium vobis forte piumque dabo."
consilium dederat. parent crinesque resolvunt
maestaque funerea corpora veste tegunt.
iam steterant acies ferro mortique paratae,
iam lituus pugnae signa daturus erat,
cum raptae veniunt inter patresque virosque
inque sinu natos, pignora cara, tenent.
et quasi sentirent, blando clamore nepotes
tendebant ad avos bracchia parva suos.
qui poterat clamabat avum tum denique visum,
et qui vix poterat posse coactus erat.
tela viris animique cadunt, gladiisque remotis
dant soceri generis accipiuntque manus;
laudatasque tenent natas, scutoque nepotem
fert avus: hic scuti dulcior usus erat.

Ov. *fast.* 3. 205-228, omitting 219 f.

CXXXV

(*a*) vulgare amici nomen sed rara est fides.
cum parvas aedes sibi fundasset Socrates
(cuius non fugio mortem si famam adsequar,
et cedo invidiae, dummodo absolvar cinis),
ex populo sic nescio quis, ut fieri solet:
"quaeso, tam angustam talis vir ponis domum?"
"utinam" inquit "veris hanc amicis impleam!"

Phaedrus 3. 9.

(*b*) puerorum in turba quidam ludentem Atticus
Aesopum nucibus cum vidisset, restitit
et quasi delirum risit. quod sensit simul
derisor potius quam deridendus senex,
arcum retensum posuit in media via:
"heus," inquit, "sapiens, expedi quid fecerim."
concurrit populus. ille se torquet diu
nec quaestionis positae causam intellegit.
novissime succumbit. tum victor sophus:
"cito rumpes arcum semper si tensum habueris;
at si laxaris, cum voles erit utilis."
sic lusus animo debent aliquando dari
ad cogitandum melior ut redeat tibi.

id. 3. 14.

CXXXVI

Dianam tenerae dicite virgines,
intonsum, pueri, dicite Cynthium,
  Latonamque supremo
    dilectam penitus Iovi.
vos laetam fluviis et nemorum coma,
quaecumque aut gelido prominet Algido,
  nigris aut Erymanthi
    silvis aut viridis Cragi.
vos Tempe totidem tollite laudibus
natalemque, mares, Delon Apollinis,
  insignemque pharetra
    fraternaque umerum lyra.
hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
pestemque a populo et principe Caesare in
  Persas atque Britannos
    vestra motus aget prece.

Hor. *carm.* I. 21.

CXXXVII

coniugis audisset fatum cum Porcia Bruti
  et subtracta sibi quaereret arma dolor,
"nondum scitis" ait "mortem non posse negari?
  credideram fatis hoc docuisse patrem."
dixit et ardentes avido bibit ore favillas:
  i nunc et ferrum, turba molesta, nega.

Mart. I. 42.

si quid, Fusce, vacas adhuc amari—
nam sunt hinc tibi sunt et hinc amici—
unum, si superest, locum rogamus.
nec me quod tibi sim novus recuses:
omnes hoc veteres tui fuerunt.
tu tantum inspice qui novus paratur
an possit fieri vetus sodalis.

id. I. 54.

CXXXVIII

Pyramus et Thisbe, iuvenum pulcherrimus alter,
altera quas Oriens habuit praelata puellis,
contiguas tenuere domos, ubi dicitur altam
coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.
notitiam primosque gradus vicinia fecit;
tempore crevit amor. taedae quoque iure coissent;
sed vetuere patres. quod non potuere vetare,
ex aequo captis ardebant mentibus ambo.
conscius omnis abest; nutu signisque loquuntur,
quoque magis tegitur, tectus magis aestuat ignis.
fissus erat tenui rima, quam duxerat olim
cum fieret, paries domui communis utrique.
id vitium nulli per saecula longa notatum
(quid non sentit amor?) primi vidistis amantes
et vocis fecistis iter; tutaeque per illud
murmure blanditiae minimo transire solebant.
saepe, ubi constiterant hinc Thisbe Pyramus illinc,
inque vices fuerat captatus anhelitus oris,
"invide," dicebant, "paries, quid amantibus obstas?
nec sumus ingrati; tibi nos debere fatemur
quod datus est verbis ad amicas transitus aures."
talia diversa nequiquam sede locuti
sub noctem dixere vale partique dedere
oscula quisque suae non pervenientia contra.

Ov. *met.* 4. 55-73, 76-80.

CXXXIX

Ixion quod versari narratur rota
volubilem Fortunam iactari docet.
adversus altos Sisyphus montes agit
saxum labore summo, quod de vertice
sudore semper inrito revolvitur:
ostendit hominum sine fine esse miserias.
quod stans in amne Tantalus medio sitit,
avari describuntur quos circumfluit
usus bonorum sed nil possunt tangere.
urnis scelestae Danaides portant aquas,
pertusa nec complere possunt dolia?
immo luxuriae quicquid dederis perfluet.
novem porrectus Tityos est per iugera,
tristi renatum suggerens poenae iecur:
quo quis maiorem possidet terrae locum
hoc demonstratur cura graviore adfici.
  consulto involvit veritatem antiquitas,
ut sapiens intellegeret, erraret rudis.

Phaedrus *app.* 5.

CXL

pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete,
qui bello exciti reges, quae quemque secutae
complerint campos acies, quibus Itala iam tum
floruerit terra alma viris, quibus arserit armis;
et meministis enim, divae, et memorare potestis;
ad nos vix tenuis famae perlabitur aura.
  primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
contemptor divom Mezentius agminaque armat:
filius huic iuxta Lausus, quo pulchrior alter
non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.
Lausus, equum domitor debellatorque ferarum,
ducit Agyllina nequiquam ex urbe secutos
mille viros, dignus patriis qui laetior esset
imperiis et cui pater haud Mezentius esset.

. . . .

nec Praenestinae fundator defuit urbis,
Volcano genitum pecora inter agrestia regem
inventumque focis omnis quem credidit aetas,
Caeculus. hunc legio late comitatur agrestis,
quique altum Praeneste viri, quique arva Gabinae
Iunonis gelidumque Anienem et roscida rivis
Hernica saxa colunt.

Verg. *Aen.* 7. 641-54, 678-84.

CXLI

(*a*) haec mihi quae colitur violis pictura rosisque,
  quos referat voltus, Caediciane, rogas?
talis erat Marcus mediis Antonius annis
  Primus; in hoc iuvenem se videt ore senex.
ars utinam mores animumque effingere posset!
  pulchrior in terris nulla tabella foret.

Mart. IC. 32.

(*b*) "dic verum mihi, Marce, dic amabo.
nil est quod magis audiam libenter."
sic et cum recitas tuos libellos
et causam quoties agis clientis
oras, Gallice, me rogasque semper.
durum est me tibi quod petis negare;
vero verius ergo quid sit audi:
verum, Gallice, non libenter audis.

id. 8. 76.

CXLII

(*a*) consilia qui dant prava cautis hominibus,
et perdunt operam et deridentur turpiter.
canes currentes bibere in Nilo flumine,
a corcodillis ne rapiantur, traditum est.
igitur cum currens bibere coepisset canis,
sic corcodillus: "quamlibet lambe otio;
accede, pota, noli temere de dolo"
ait "vereri." at ille "facerem me hercule,
nisi esse scirem carnis te cupidum meae."

Phaedrus 1. 25.

(*b*) Aesopi ingenio statuam posuere Attici
et collocarunt servolum aeterna in basi,
patere honoris scirent ut cuncti viam,
nec generi tribui, sed virtuti, gloriam.
quoniam occuparat alter ut primus foret,
ne solus esset studui, quod superfuit:
nec haec invidia verum est aemulatio.
quod si labori faverit Latium meo,
plures habebit quos opponat Graeciae.
sin livor obtrectare curam voluerit,
non tamen eripiet laudis conscientiam.

id. 2. *epil.* 1-11.

CXLIII

(*a*) vis fieri liber? mentiris, Maxime, non vis:
sed fieri si vis, hac ratione potes.
liber eris, cenare foris si, Maxime, nolis,
Veientana tuam si domat uva sitim,
si ridere potes miseri chrysendeta Cinnae,
contentus nostra si potes esse toga.
haec tibi si vis est, si mentis tanta potestas,
liberior Partho vivere rege potes.

Martial 2. 53.

(*b*) sit cisterna mihi quam vinea malo Ravennae,
cum possim multo vendere pluris aquam.

id. 3. 56.

(*c*) callidus imposuit nuper mihi caupo Ravennae;
cum peterem mixtum, vendidit ille merum.

id. 3. 57.

CXLIV

(*Ceres in her search for Persephone has reached Attica*)

hic primum sedit gelido maestissima saxo;
  illud Cecropidae nunc quoque Triste vocant.
sub Iove duravit multis inmota diebus
  et lunae patiens et pluvialis aquae.
fors sua cuique loco est. quod nunc Cerialis Eleusin
  dicitur, hoc Celei rura fuere senis.
ille domum glandes excussaque mora rubetis
  portat et arsuris arida ligna focis.
filia parva duas redigebat monte capellas,
  et tener in cunis filius aeger erat.
"mater" ait virgo (mota est dea nomine matris)
  "quid facis in solis incomitata locis?"
restitit et senior, quamvis onus urget, et orat
  tecta suae subeat quantulacumque casae.
illa negat. (simularat anum mitraque capillos
  presserat.) instanti talia dicta refert:
"sospes eas semperque parens. mihi filia rapta est.
  heu, melior quanto sors tua sorte mea est."
dixit, et ut lacrimae (neque enim lacrimare deorum est)
  decidit in tepidos lucida gutta sinus.
flent pariter molles animis virgoque senexque;
  e quibus haec iusti verba fuere senis:
"sic tibi quam raptam quereris sit filia sospes,
  surge, nec exiguae despice tecta casae."
cui dea "duc" inquit; "scisti qua cogere posses,"
  seque levat saxo subsequiturque senem.
dux comiti narrat quam sit sibi filius aeger
  nec capiat somnos invigiletque malis.

Ov. *fast.* 4. 503-530.

CXLV

(Continuation)

limen ut intravit, luctus videt omnia plena:
   iam spes in puero nulla salutis erat.
matre salutata (mater Metanira vocatur)
   iungere dignata est os puerile suo.
pallor abit subitasque vident in corpore vires:
   tantus caelesti venit ab ore vigor.
tota domus laeta est; hoc est materque paterque
   nataque: tres illi tota fuere domus.
mox epulas ponunt: liquefacta coagula lacte
   pomaque et in ceris aurea mella suis.
abstinet alma Ceres somnique papavera causas
   dat tibi cum tepido lacte bibenda, puer.
noctis erat medium placidique silentia somni:
   Triptolemum gremio sustulit illa suo,
terque manu permulsit eum, tria carmina dixit,
   carmina mortali non referenda sono;
inque foco corpus pueri vivente favilla
   obruit, humanum purget ut ignis onus.
excutitur somno stulte pia mater et amens
   "quid facis?" exclamat membraque ab igne rapit.
cui dea "dum non es" dixit "scelerata, fuisti:
   inrita materno sunt mea dona metu.
iste quidem mortalis erit: sed primus arabit
   et seret et culta praemia tollet humo."

id. 4. 537-560.

CXLVI

(*a*) occurrit tibi nemo quod libenter,
quod quacumque venis fuga est et ingens
circa te, Ligurine, solitudo,
quid sit scire cupis? nimis poeta es.
hoc valde vitium periculosum est.
non tigris catulis citata raptis
nec sic scorpios improbus timetur.
nam tantos, rogo, quis ferat labores?
et stanti legis et legis sedenti.
in thermas fugio: sonas ad aurem.
piscinam peto: non licet natare.
ad cenam propero: tenes euntem.
ad cenam venio: fugas sedentem.
lassus dormio: suscitas iacentem.
vis quantum facias mali videre?
vir iustus, probus, innocens timeris.

Martial 3. 44.

(*b*) vis te, Sexte, coli: volebam amare.
parendum est tibi: quod iubes, coleris.
sed si te colo, Sexte, non amabo.

id. 2. 55.

CXLVII

cervus nemorosis excitatus latibulis
ut venatorum fugeret instantem necem,
caeco timore proximam villam petit
et opportuno se bovili condidit.
hic bos latenti: "quidnam voluisti tibi,
infelix, ultro qui ad necem cucurreris
hominumque tecto spiritum commiseris?"
at ille supplex "vos modo" inquit "parcite;
occasione rursus erumpam data."
spatium diei noctis excipiunt vices.
frondem bubulcus adfert: nil adeo videt.
eunt subinde et redeunt omnes rustici:
nemo animadvertit. transit etiam vilicus:
nec ille quicquam sentit. tum gaudens ferus
bubus quietis agere coepit gratias,
hospitium adverso quod praestiterint tempore.
respondit unus: "salvum te volumus quidem;
sed ille qui oculos centum habet si venerit,
magno in periclo vita vertetur tua."
haec inter ipse dominus a cena redit,
et quia corruptos viderat nuper boves,
accedit ad praesepe: "cur frondis parum est?
stramenta desunt! tollere haec aranea
quantum est laboris?" dum scrutatur singula,
cervi quoque alta est conspicatus cornua;
quem convocata iubet occidi familia
praedamque tollit.—haec significat fabula
dominum videre plurimum in rebus suis.

Phaedrus 2. 8.

CXLVIII

quid prius dicam solitis parentis
laudibus, qui res hominum ac deorum,
qui mare et terras variisque mundum
temperat horis:
unde nil maius generatur ipso,
nec viget quicquam simile aut secundum?
proximos illi tamen occupavit
Pallas honores,
proeliis audax. neque te silebo,
Liber, et saevis inimica virgo
beluis, nec te, metuende certa
Phoebe sagitta.
dicam et Alciden puerosque Ledae,
hunc equis, illum superare pugnis
nobilem; quorum simul alba nautis
stella refulsit,
defluit saxis agitatus umor,
concidunt venti fugiuntque nubes
et minax, quod sic voluere, ponto
unda recumbit.

Hor. *carm.* I. 12. 13-32.

CXLIX

(Continuation)

Romulum post hos prius an quietum
Pompili regnum memorem an superbos
Tarquini fasces dubito, an Catonis
nobile letum.
Regulum et Scauros animaeque magnae
prodigum Paulum superante Poeno
gratus insigni referam camena
Fabriciumque.
hunc et incomptis Curium capillis
utilem bello tulit et Camillum
saeva paupertas et avitus apto
cum lare fundus.
crescit occulto velut arbor aevo
fama Marcelli; micat inter omnis
Iulium sidus velut inter ignis
luna minores.
gentis humanae pater atque custos,
orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data: tu secundo
Caesare regnes.

id. I. 12. 33-52.

CL

iussa recusantes peragunt lacrimosa ministri,
 flent tamen, et geminos in loca iussa ferunt.
Albula, quem Tiberim mersus Tiberinus in undis
 reddidit, hibernis forte tumebat aquis.
hic ubi nunc fora sunt, lintres errare videres,
 quaque iacent valles, Maxime Circe, tuae.
huc ubi venerunt (neque enim procedere possunt
 longius), ex illis unus et alter ait:
"at quam sunt similes! at quam formosus uterque!
 plus tamen ex illis iste vigoris habet.
si genus arguitur vultu, nisi fallit imago,
 nescioquem vobis suspicor esse deum—
at siquis vestrae deus esset originis auctor,
 in tam praecipiti tempore ferret opem.
ferret opem certe, si non ope mater egeret,
 quae facta est uno mater et orba die.
nata simul, moritura simul, simul ite sub undas
 corpora." desierat deposuitque sinu.
vagierunt ambo pariter: sensisse putares.
 hi redeunt udis in sua tecta genis.

Ov. *fast.* 2. 387-406.

CLI

humanitati qui se non accommodat,
plerumque poenas oppetit superbiae.
  cicada acerbum noctuae convicium
faciebat, solitae victum in tenebris quaerere
cavoque ramo capere somnum interdiu.
rogata est ut taceret. multo validius
clamare coepit. rursus admota prece
accensa magis est. noctua ut vidit sibi
nullum esse auxilium et verba contemni sua,
hac est adgressa garrulam fallacia:
"dormire quia me non sinunt cantus tui,
sonare citharam quos putes Apollinis,
potare est animus nectar, quod Pallas mihi
nuper donavit; si non fastidis, veni;
una bibamus." illa, quae arebat siti,
simul cognovit vocem laudari suam,
cupide advolavit. noctua obsepto cavo
trepidantem consectata est et leto dedit.
sic viva quod negarat tribuit mortua.

Phaedrus 3. 16.

CLII

inde cito passu petitur Lucretia, cuius
 ante torum calathi lanaque mollis erat.
lumen ad exiguum famulae data pensa trahebant,
 inter quas tenui sic ait illa sono:
"mittenda est domino (nunc nunc properate, puellae)
 quam primum nostra facta lacerna manu.
quid tamen auditis? nam plura audire potestis.
 quantum de bello dicitur esse super?
postmodo victa cades: melioribus, Ardea, restas,
 improba, quae nostros cogis abesse viros.
sint tantum reduces! sed enim temerarius ille
 est meus et stricto quolibet ense ruit.
mens abit et morior quotiens pugnantis imago
 me subit, et gelidum pectora frigus habet."
desinit in lacrimas intentaque fila remittit,
 in gremio vultum deposuitque suum.
hoc ipsum decuit; lacrimae decuere pudicae,
 et facies animo dignaque parque fuit.
"pone metum, veni" coniunx ait. illa revixit,
 deque viri collo dulce pependit onus.

Ov. *fast.* 2. 741-760.

CLIII

(*a*) quod magni Thraseae consummatique Catonis
dogmata sic sequeris salvus ut esse velis,
pectore nec nudo strictos incurris in enses,
quod fecisse velim te, Deciane, facis.
nolo virum facili redimit qui sanguine famam,
hunc volo, laudari qui sine morte potest.

Mart. 1. 8.

(*b*) libertus Melioris ille notus,
tota qui cecidit dolente Roma,
cari deliciae breves patroni,
hoc sub marmore Glaucias humatus
iuncto Flaminiae iacet sepulcro.
castus moribus, integer pudore,
velox ingenio, decore felix,
bis senis modo messibus peractis
vix unum puer applicabat annum.
qui fles talia, nil fleas, viator.

id. 6. 28.

CLIV

quam bene Saturno vivebant rege, priusquam
 tellus in longas est patefacta vias!
nondum caeruleas pinus contempserat undas,
 effusum ventis praebueratque sinum,
nec vagus ignotis repetens compendia terris
 presserat externa navita merce ratem.
illo non validus subiit iuga tempore taurus,
 non domito frenos ore momordit equus,
non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
 qui regeret certis finibus arva, lapis.
ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant
 obvia securis ubera lactis oves.
non acies, non ira fuit, non bella, nec ensem
 immiti saevus duxerat arte faber.
nunc Iove sub domino caedes et vulnera semper,
 nunc mare, nunc leti mille repente viae.

Tibull. I. 3. 35-50.

CLV

homo doctus in se semper divitias habet.
Simonides, qui scripsit egregium melos,
quo paupertatem sustineret facilius,
circum ire coepit urbes Asiae nobiles,
mercede accepta laudem victorum canens.
hoc genere quaestus postquam locuples factus est,
revenire in patriam voluit cursu pelagio;
erat autem, ut aiunt, natus in Cia insula.
ascendit navem, quam tempestas horrida
simul et vetustas medio dissolvit mari.
hi zonas, illi res pretiosas colligunt,
subsidium vitae. quidam curiosior:
"Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis?"
"mecum" inquit "mea sunt cuncta." tunc pauci enatant,
quia plures onere degravati perierant.
praedones adsunt, rapiunt quod quisque extulit,
nudos relinquunt. forte Clazomenae prope
antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
hic litterarum quidam studio deditus,
Simonidis qui saepe versus legerat
eratque absentis admirator maximus,
sermone ab ipso cognitum cupidissime
ad se recepit; veste, nummis, familia
hominem exornavit. ceteri tabulam suam
portant rogantes victum. quos casu obvios
Simonides ut vidit, "dixi" inquit "mea
mecum esse cuncta: vos quod habuistis, perit."

Phaedrus 4. 22 (23).

CLVI

"magna petis, Phaethon, et quae nec viribus istis
munera conveniant nec tam puerilibus annis.
sors tua mortalis. non est mortale quod optas.
plus etiam quam quod superis contingere fas est
nescius affectas. placeat sibi quisque licebit,
non tamen ignifero quisquam consistere in axe
me valet excepto. vasti quoque rector Olympi,
qui fera terribili iaculatur fulmina dextra,
non agat hos currus. et quid Iove maius habemus?
ardua prima via est et qua vix mane recentes
enitantur equi. medio est altissima caelo,
unde mare et terras ipsi mihi saepe videre
fit timor, et pavida trepidat formidine pectus.
ultima prona via est et eget moderamine certo:
tunc etiam quae me subiectis excipit undis,
ne ferar in praeceps Tethys solet ipsa vereri.
adde quod assidua rapitur vertigine caelum
sideraque alta trahit celerique volumine torquet.
nitor in adversum, nec me qui cetera vincit
impetus, et rapido contrarius evehor orbi."

Ov. *met.* 2. 54-73.

CLVII

triginta mihi quattuorque messes
tecum, si memini, fuere, Iuli.
quarum dulcia mixta sunt amaris,
sed iucunda tamen fuere plura.
et si calculus omnis huc et illuc
diversus bicolorque digeratur,
vincet candida turba nigriorem.
si vitare voles acerba quaedam
et tristes animi cavere morsus,
nulli te facias nimis sodalem.
gaudebis minus, et minus dolebis.

Mart. 12. 34.

dederas, Apici, bis trecentiens ventri,
et adhuc supererat centiens tibi laxum.
hoc tu gravatus ut famem et sitim ferre
summa venenum potione perduxti.
nil est, Apici, tibi gulosius factum.

id. 3. 22.

CLVIII

sed leve pondus erat, nec quod cognoscere possent
Solis equi, solitaque iugum gravitate carebat.
utque labant curvae iusto sine pondere naves
perque mare instabiles nimia levitate feruntur,
sic onere assueto vacuus dat in aera saltus
succutiturque alte similisque est currus inani.
quod simulac sensere, ruunt tritumque relinquunt
quadriiugi spatium nec quo prius ordine currunt.
ipse pavet. nec qua commissas flectat habenas,
nec scit qua sit iter ; nec si sciat, imperet illis.
ut vero summo despexit ab aethere terras
infelix Phaethon penitus penitusque iacentes,
palluit et subito genua intremuere timore,
suntque oculis tenebrae per tantum lumen obortae.
quid faciat? multum caeli post terga relictum,
ante oculos plus est. animo metitur utrumque ;
et modo quos illi fatum contingere non est
prospicit occasus, interdum respicit ortus.
quidque agat ignarus stupet et nec frena remittit
nec retinere valet, nec nomina novit equorum.

Ov. *met.* 2. 161-70, 178-81, 187-92.

CLIX

hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
hortus ubi et tecto vicinus iugis aquae fons
et paullum silvae super his foret. auctius atque
di melius fecere. bene est. nil amplius oro,
Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis.
si neque maiorem feci ratione mala rem
nec sum facturus vitio culpave minorem;
si veneror stultus nihil horum: "o si angulus ille
proximus accedat, qui nunc denormat agellum!
o si urnam argenti fors quae mihi monstret, ut illi
thesauro invento qui mercennarius agrum
illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule!" si quod adest gratum iuvat, hac prece te oro:
pingue pecus domino facias et cetera praeter
ingenium utque soles custos mihi maximus adsis.

Hor. *sat.* 2. 6. 1-15.

CLX

seminibus tostis sceleratae fraude novercae
  sustulerat nullas ut solet herba comas.
mittitur ad tripodas certa qui sorte reportet,
  quam sterili terrae Delphicus edat opem.
hic quoque corruptus cum semine nuntiat Helles
  et iuvenis Phrixi funera sorte peti.
utque recusantem cives et tempus et Ino
  compulerunt regem iussa nefanda pati,
et soror et Phrixus, velati tempora vittis,
  stant simul ante aras iunctaque fata gemunt:
aspicit hos, ut forte pependerat aethere, mater
  et ferit attonita pectora nuda manu,
inque draconigenam nimbis comitantibus urbem
  desilit et natos eripit inde suos.
utque fugam capiant, aries nitidissimus auro
  traditur. ille vehit per freta longa duos.
dicitur infirma cornu tenuisse sinistra
  femina, cum de se nomina fecit aquae.
paene simul periit dum vult succurrere lapsae
  frater, et extentas porrigit usque manus.

Ov. *fast.* 3. 853-872.

CLXI

Simonides idem ille de quo rettuli,
victori laudem cuidam pyctae ut scriberet
certo conductus pretio, secretum petit.
exigua cum frenaret materia impetum,
usus poetae more is et licentia est
atque interposuit gemina Ledae pignera,
auctoritatem similis referens gloriae.
opus adprobavit; sed mercedis tertiam
accepit partem. cum relicuom posceret:
"illi," inquit, "reddent quorum sunt laudis duae
verum ut ne irate te dimissum censeas,
ad cenam mihi promitte; cognatos volo
hodie invitare: quorum es in numero mihi."
fraudatus quamvis et dolens iniuria,
ne male dimissus gratiam corrumperet,
promisit. rediit hora dicta; recubuit.
splendebat hilare poculis convivium,
magno adparatu laeta resonabat domus:
repente duo cum iuvenes sparsi pulvere,
sudore multo diffluentes, corpora
humanam supra formam, cuidam servolo
mandant ut ad se provocet Simonidem;
ipsius interesse ne faciat moram.
homo perturbatus excitat Simonidem.
unum promorat vix pedem triclinio,
ruina camarae subito oppressit ceteros;
nec ulli iuvenes sunt reperti ad ianuam.
ut est vulgatus ordo narratae rei,
omnes scierunt numinum praesentiam
vati dedisse vitam mercedis loco.

Phaedrus 4. 25 (26) 4-33.

CLXII

Iuppiter huc specie mortali cumque parente
venit Atlantiades positis caducifer alis.
mille domos adiere, locum requiemque petentes;
mille domos clausere serae. tamen una recepit,
parva quidem, stipulis et canna tecta palustri,
sed pia Baucis anus parilique aetate Philemon
illa sunt annis iuncti iuvenalibus, illa
consenuere casa paupertatemque fatendo
effecere levem nec iniqua mente ferendo.
nec refert dominos illic famulosve requiras:
tota domus duo sunt, idem parentque iubentque.
ergo ubi caelicolae parvos tetigere penates
submissoque humiles intrarunt vertice postes,
membra senex posito iussit relevare sedili,
quo superiniecit textum rude sedula Baucis.
inde foco tepidum cinerem dimovit et ignes
suscitat hesternos foliisque et cortice sicco
nutrit et ad flammas anima producit anili;
multifidasque faces ramaliaque arida tecto
detulit et minuit parvoque admovit aeno,
quodque suus coniunx riguo collegerat horto
truncat holus foliis. furca levat ille bicorni
sordida terga suis nigro pendentia tigno
servatoque diu resecat de tergore partem
exiguam sectamque domat ferventibus undis.

Ov. *met.* 8. 626-650.

CLXIII

(Prayers offered by girls and boys on behalf of the state)

fertilis frugum pecorisque tellus
spicea donet Cererem corona;
nutriant fetus et aquae salubres
    et Iovis aurae.
condito mitis placidusque telo
supplices audi pueros, Apollo;
siderum regina bicornis audi,
    Luna, puellas.
di, probos mores docili iuventae,
di, senectuti placidae quietem,
Romulae genti date remque prolemque
    et decus omne.
quaeque vos bobus veneratur albis
clarus Anchisae Venerisque sanguis,
impetret, bellante prior, iacentem
    lenis in hostem.
iam fides et pax et honos pudorque
priscus et neglecta redire virtus
audet, apparetque beata pleno
    copia cornu.

Hor. *carmen saeculare* 29-36, 45-52, 57-60.

CLXIV

hinc bellator equus campo sese arduus infert;
hinc albi, Clitumne, greges et maxuma taurus
victima, saepe tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad templa deum duxere triumphos.
hic ver adsiduum atque alienis mensibus aestas;
bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbos.
at rabidae tigres absunt et saeva leonum
semina, nec miseros fallunt aconita legentis,
nec rapit inmensos orbis per humum, neque tanto
squameus in spiram tractu se colligit anguis.
adde tot egregias urbes operumque laborem,
tot congesta manu praeruptis oppida saxis,
fluminaque antiquos subterlabentia muros.
an mare quod supra, memorem, quodque adluit infra?
anne lacus tantos? te, Lari maxume, teque,
fluctibus et fremitu adsurgens, Benace, marino?
an memorem portus Lucrinoque addita claustra
atque indignatum magnis stridoribus aequor,
Iulia qua ponto longe sonat unda refuso
Tyrrhenusque fretis inmittitur aestus Avernis?
. . . .

salve, magna parens frugum, Saturnia tellus,
magna virum; tibi res antiquae laudis et artis
ingredior, sanctos ausus recludere fontis,
Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.

Verg. *georg.* 2. 145-164, 173-176.

CLXV

heu quantum timuere patres quo tempore Vesta
arsit et est tectis obruta paene suis!
flagrabant sancti sceleratis ignibus ignes,
mixtaque erat flammae flamma profana piae.
attonitae flebant demisso crine ministrae:
abstulerat vires corporis ipse timor.
provolat in medium et magna "succurrite" voce:
"non est auxilium flere" Metellus ait.
"pignora virgineis fatalia tollite palmis;
non ea sunt voto sed rapienda manu.
me miserum! dubitatis?" ait. dubitare videbat
et pavidas posito procubuisse genu.
haurit aquas tollensque manus "ignoscite" dixit
"sacra: vir intrabo non adeunda viro.
si scelus est, in me commissi poena redundet:
sit capitis damno Roma soluta mei."
dixit et irrupit. factum dea rapta probavit
pontificisque sui munere tuta fuit.

Ov. *fast.* 6. 437-454.

CLXVI

paene insularum, Sirmio, insularumque
ocelle, quascumque in liquentibus stagnis
marique vasto fert uterque Neptunus,
quam te libenter quamque laetus inviso,
vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos
liquisse campos et videre te in tuto.
o, quid solutis est beatius curis,
cum mens onus reponit, ac peregrino
labore fessi venimus larem ad nostrum
desideratoque acquiescimus lecto?
hoc est quod unumst pro laboribus tantis.
salve, o venusta Sirmio, atque ero gaude,
gaudete vosque, o Lydiae lacus undae:
ridete quicquid est domi cachinnorum.

Catullus 31.

CLXVII

(Daedalus has begged that Minos will suffer him to depart)

dixerat haec. sed et haec et multo plura licebat
  dicere, regressus non dabat ille viro.
quod simul ut sensit, "nunc, nunc, o Daedale," dixit,
  "materiam qua sis ingeniosus habes.
possidet et terras et possidet aequora Minos;
  nec tellus nostrae nec patet unda fugae.
restat iter caeli; caelo temptabimus ire.
  da veniam coepto, Iuppiter alte, meo."
ingenium mala saepe movent. quis crederet umquam
  aerias hominem carpere posse vias?
remigium volucrum disponit in ordine pinnas
  et leve per lini vincula nectit opus;
imaque pars ceris adstringitur igne solutis,
  finitusque novae iam labor artis erat.
tractabat ceramque puer pinnasque renidens,
  nescius haec umeris arma parata suis.
cui pater "his" inquit "patria est adeunda carinis,
  hac nobis Minos effugiendus ope.
aera non potuit Minos, alia omnia clausit:
  quem licet, inventis aera rumpe meis.
me pinnis sectare datis; ego praevius ibo:
  sit tua cura sequi; me duce tutus eris.
nam sive aetherias vicino sole per auras
  ibimus, inpatiens cera caloris erit;
sive humiles propiore freto iactabimus alas,
  mobilis aequoreis pinna madescet aquis.
inter utrumque vola. ventos quoque, nate, timeto,
  quaque ferent aurae, vela secunda dato."

Ov. *ars amat.* 2. 31.

CLXVIII

(*Continuation*)

dum monet, aptat opus puero monstratque moveri,
erudit infirmas ut sua mater aves.
iamque volaturus parvo dedit oscula nato,
nec patriae lacrimas continuere genae.
monte minor collis, campis erat altior aequis:
hinc data sunt miserae corpora bina fugae.
et movet ipse suas et nati respicit alas
Daedalus et cursus sustinet usque suos.
iamque novum delectat iter; positoque timore
Icarus audaci fortius arte volat.
iam Samos a laeva, (fuerant Naxosque relictae
et Paros et Clario Delos amata deo)
dextra Lebynthos erat silvisque umbrosa Calymne
cinctaque piscosis Astypalaea vadis;
cum puer, incautis nimium temerarius annis,
altius egit iter deseruitque patrem.
vincla labant et cera deo propiore liquescit;
nec tenues ventos bracchia mota tenent.
tabuerant cerae: nudos quatit ille lacertos,
et trepidat nec quo sustineatur habet.
decidit atque cadens "pater o, pater, auferor" inquit.
clauserunt virides ora loquentis aquae.
at pater infelix, nec iam pater, "Icare" clamat,
"Icare" clamat "ubi es, quoque sub axe volas?"
"Icare" clamabat: pinnas adspexit in undis.
ossa tegit tellus; aequora nomen habent.

Ov. *ars amat.* 2. 65.

CLXIX

(*a*) Gaius hanc lucem gemma mihi Iulius alba
signat, io, votis redditus, ecce, meis.
desperasse iuvat veluti iam rupta sororum
fila : minus gaudent qui timuere nihil.
Hypne, quid exspectas, piger? inmortale Falernum
funde : senem poscunt talia vota cadum.
quincunces et sex cyathos bessemque bibamus,
Gaius ut fiat Iulius et Proculus.

Mart. 11. 36.

(*b*) scis te captari, scis hunc qui captat avarum,
et scis qui captat quid, Mariane, velit.
tu tamen hunc tabulis heredem, stulte, supremis
scribis et esse tuo vis, furiose, loco.
"munera magna tamen misit." sed misit in hamo.
et piscatorem piscis amare potest?
hicine deflebit vero tua fata dolore?
si cupis ut ploret, des, Mariane, nihil.

id. 6. 63.

CLXX

(*a*) laceratus quidam morsu vementi canis
tinctum cruore panem misit malefico,
audierat esse quod remedium volneris.
tunc sic Aesopus: "noli coram pluribus
hoc facere canibus, ne nos vivos devorent,
cum scierint esse tale culpae praemium."
successus improborum plures allicit.

Phaedrus 2. 3.

(*b*) Aesopo quidam scripta recitarat mala,
in quis inepte multum se iactaverat.
scire ergo cupiens quidnam sentiret senex,
"numquid tibi" inquit "visus sum superbior?
haud vana nobis ingeni fiducia est?"
confectus ille pessimo volumine
"ego" inquit "quod te laudas vehementer probo;
namque hoc ab alio numquam continget tibi."

id. *app.* 7.

CLXXI

vester, Camenae, vester in arduos
tollor Sabinos, seu mihi frigidum
  Praeneste seu Tibur supinum
    seu liquidae placuere Baiae.
vestris amicum fontibus et choris
non me Philippis versa acies retro,
  devota non exstinxit arbor
    nec Sicula Palinurus unda.
utcumque mecum vos eritis, libens
insanientem navita Bosphorum
  temptabo et urentis harenas
    litoris Assyrii viator;
visam Britannos hospitibus feros
et laetum equino sanguine Concanum,
  visam pharetratos Gelonos
    et Scythicum inviolatus amnem.
vos Caesarem altum, militia simul
fessas cohortes addidit oppidis,
  finire quaerentem labores
    Pierio recreatis antro.
vos lene consilium et datis et dato
gaudetis almae.

Hor. *carm.* 3. 4. 21-42.

CLXXII

at cum regna senex caeli Saturnus haberet,
  omne lucrum tenebris alta premebat humus:
aeraque et argentum cumque auro pondera ferri
  Manibus admorat, nullaque massa fuit.
at meliora dabat, curvo sine vomere fruges
  pomaque et in quercu mella reperta cava.
nec valido quisquam terras scindebat aratro;
  signabat nullo limite mensor humum;
non freta demisso verrebant eruta remo;
  ultima mortali tum via litus erat.
contra te sollers, hominum natura, fuisti
  et nimium damnis ingeniosa tuis.
quo tibi turritis incingere moenibus urbes?
  quo tibi discordes addere in arma manus?
quid tibi cum pelago? terra contenta fuisses.
  cur non et caelum tertia regna facis?
qua licet, adfectas caelum quoque: templa Quirinus
  Liber et Alcides et modo Caesar habent.
eruimus terra solidum pro frugibus aurum:
  possidet inventas sanguine miles opes.
Curia pauperibus clausa est: dat census honores:
  inde gravis iudex, inde severus eques.

Ov. *amor*. 3. 8. 35-56

CLXXIII

otium divos rogat in patenti
prensus Aegaeo, simul atra nubes
condidit lunam neque certa fulgent
    sidera nautis;
otium bello furiosa Thrace,
otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis neque purpura ve-
    nale neque auro.
non enim gazae neque consularis
summovet lictor miseros tumultus
mentis et curas laqueata circum
    tecta volantes.
vivitur parvo bene cui paternum
splendet in mensa tenui salinum,
nec leves somnos timor aut cupido
    sordidus aufert.
quid brevi fortes iaculamur aevo
multa? quid terras alio calentes
sole mutamus? patriae quis exul
    se quoque fugit?

Hor. *carm.* 2. 16. 1-20.

CLXXIV

(*a*) Nympharum pater amniumque, Rhene,
quicumque Odrysias bibunt pruinas,
sic semper liquidis fruaris undis,
nec te barbara contumeliosi
calcatum rota conterat bubulci;
sic et cornibus aureis receptis
et Romanus eas utraque ripa:
Traianum populis suis et urbi,
Thybris te dominus rogat, remittas.

Mart. 10. 7.

(*b*) quae mihi praestiteris memini semperque tenebo.
cur igitur taceo, Postume? tu loqueris.
incipio quotiens alicui tua dona referre,
protinus exclamat "dixerat ipse mihi."
non belle quaedam faciunt duo; sufficit unus
huic operi: si vis, ut loquar, ipse tace.
crede mihi, quamvis ingentia, Postume, dona
auctoris pereunt garrulitate sui.

id. 5. 52.

CLXXV

poena placet diversa, genus mortale sub undis
perdere et ex omni nimbos demittere caelo.
protinus Aeoliis Aquilonem claudit in antris
et quaecumque fugant inductas flamina nubes,
emittitque Notum. madidis Notus evolat alis,
terribilem picea tectus caligine vultum:
barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis,
fronte sedent nebulae, rorant pennaeque sinusque;
utque manu late pendentia nubila pressit,
fit fragor, hinc densi funduntur ab aethere nimbi.
nuntia Iunonis varios induta colores
concipit Iris aquas, alimentaque nubibus adfert.
sternuntur segetes et deplorata colonis
vota iacent, longique perit labor irritus anni.
nec caelo contenta suo est Iovis ira, sed illum
caeruleus frater iuvat auxiliaribus undis.
convocat hic amnes. qui postquam tecta tyranni
intravere sui, "non est hortamine longo
nunc" ait "utendum. vires effundite vestras;
sic opus est. aperite domos ac mole remota
fluminibus vestris totas inmittite habenas."

Ov. *met.* I. 260-280.

CLXXVI

Dianae sumus in fide
puellae et pueri integri :
Dianam pueri integri
  puellaeque canamus.
o Latonia, maximi
magna progenies Iovis,
quam mater prope Deliam
  deposivit olivam,
montium domina ut fores
silvarumque virentium
saltuumque reconditorum
  amniumque sonantum.
tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis,
tu potens Trivia et notho 's
  dicta lumine Luna.
tu cursu, dea, menstruo
metiens iter annuom
rustica agricolae bonis
  tecta frugibus exples.
sis quocumque tibi placet
sancta nomine, Romulique
antiquam, ut solita 's, bona
  sospites ope gentem.

Catullus 34.

CLXXVII

adsitis, divi, nec vos e paupere mensa
  dona nec e puris spernite fictilibus.
fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
  pocula, de facili composuitque luto.
non ego divitias patrum fructusque requiro,
  quos tulit antiquo condita messis avo:
parva seges satis est, satis est requiescere lecto
  si licet et solito membra levare toro.
quam iuvat inmites ventos audire cubantem
  et dominam tenero continuisse sinu;
aut gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster,
  securum somnos imbre iuvante sequi!
hoc mihi contingat: sit dives iure furorem
  qui maris et tristes ferre potest pluvias.
o quantum est auri pereat potiusque smaragdi
  quam fleat ob nostras ulla puella vias.
te bellare decet terra, Messalla, marique
  ut domus hostiles praeferat exuvias:
me retinent vinctum formosae vincla puellae,
  et sedeo duras ianitor ante fores.
non ego laudari curo, mea Delia: tecum
  dum modo sim, quaeso segnis inersque vocer.
te spectem, suprema mihi cum venerit hora,
  te teneam moriens deficiente manu.
flebis in arsuro positum me, Delia, lecto,
  tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.
illo non iuvenis poterit de funere quisquam
  lumina, non virgo, sicca referre domum.
tu manes ne laede meos, sed parce solutis
  crinibus et teneris, Delia, parce genis.

Tibull. I. I. 37-68 omitting 63 f.

CLXXVIII

quis multa gracilis te puer in rosa
perfusus liquidis urget odoribus
    grato, Pyrrha, sub antro?
        cui flavam religas comam,
simplex munditiis? heu quotiens fidem
mutatosque deos flebit et aspera
    nigris aequora ventis
        emirabitur insolens,
qui nunc te fruitur credulus aurea,
qui semper vacuam, semper amabilem
    sperat, nescius aurae
        fallacis. miseri quibus
intemptata nites. me tabula sacer
votiva paries indicat uvida
    suspendisse potenti
        vestimenta maris deo.

Hor. *carm.* I. 5.

CLXXIX

(*Galatea speaks*)

prominet in pontum cuneatus acumine longo
collis; utrumque latus circumfluit aequoris unda.
huc ferus ascendit Cyclops, mediusque resedit;
lanigerae pecudes nullo ducente secutae.
cui postquam pinus baculi quae praebuit usum
ante pedes posita est, antemnis apta ferendis,
sumptaque harundinibus conpacta est fistula centum,
senserunt toti pastoria sibila montes,
senserunt undae. latitans ego rupe meique
Acidis in gremio residens procul auribus hausi
talia dicta meis auditaque verba notavi:
"candidior folio nivei, Galatea, ligustri,
splendidior vitro, tenero lascivior haedo,
solibus hibernis, aestiva gratior umbra,
nobilior palma, platano conspectior alta;
saevior indomitis eadem Galatea iuvencis,
surdior aequoribus, calcato inmitior hydro.
at bene si noris, pigeat fugisse, morasque
ipsa tuas damnes et me retinere labores.
sunt mihi, pars montis, vivo pendentia saxo
antra, quibus nec sol medio sentitur in aestu
nec sentitur hiems. sunt poma gravantia ramos,
sunt auro similes longis in vitibus uvae,
sunt et purpureae: tibi et has servamus et illas.
nec tibi castaneae me coniuge nec tibi deerunt
arbutei fetus; omnis tibi serviet arbor.
hoc pecus omne meum est. multae quoque vallibus errant,
multas silva tegit, multae stabulantur in antris.
nec, si forte roges, possim tibi dicere quot sint;
pauperis est numerare pecus. . . ."

Ov. *met.* 13. 778 ff. omitting some lines.

CLXXX

suave, mari magno turbantibus aequora ventis,
e terra magnum alterius spectare laborem;
non quia vexari quemquamst iucunda voluptas,
sed quibus ipse malis careas quia cernere suave est.
suave etiam belli certamina magna tueri
per campos instructa tua sine parte pericli.
sed nil dulcius est bene quam munita tenere
edita doctrina sapientum templa serena,
despicere unde queas alios passimque videre
errare atque viam palantis quaerere vitae,
certare ingenio, contendere nobilitate,
noctes atque dies niti praestante labore
ad summas emergere opes rerumque potiri.
o miseras hominum mentes, o pectora caeca!
qualibus in tenebris vitae quantisque periclis
degitur hoc aevi quodcumquest! nonne videre
nil aliud sibi naturam latrare, nisi utqui
corpore seiunctus dolor absit, mente fruatur
iucundo sensu cura semota metuque?
ergo corpoream ad naturam pauca videmus
esse opus omnino, quae demant cumque dolorem.

Lucr. 2. 1-21.

CLXXXI

nox erat et placidum carpebant fessa soporem
corpora per terras, silvaeque et saeva quierant
aequora, cum medio volvuntur sidera lapsu,
cum tacet omnis ager, pecudes, pictaeque volucres,
quaeque lacus late liquidos quaeque aspera dumis
rura tenent, somno positae sub nocte silenti.
at non infelix animi Phoenissa, nec umquam
solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem
accipit. ingeminant curae, rursusque resurgens
saevit amor, magnoque irarum fluctuat aestu.
sic adeo insistit, secumque ita corde volutat:
"en quid ago? rursusne procos inrisa priores
experiar, Nomadumque petam conubia supplex,
quos ego sim toties iam dedignata maritos?
Iliacas igitur classes atque ultima Teucrum
iussa sequar? quiane auxilio iuvat ante levatos,
et bene apud memores veteris stat gratia facti?
quis me autem, fac velle, sinet, ratibusve superbis
invisam accipiet? . . . ."

Verg. *Aen.* 4. 522-541 omitting 528.

CLXXXII

Aesopus domino solus cum esset familia,
parare cenam iussus est maturius.
ignem ergo quaerens aliquot lustravit domus,
tandemque invenit ubi lucernam accenderet.
tum circum eunti fuerat quod iter longius,
effecit brevius; namque recta per forum
coepit redire. et quidam ex turba garrulus:
"Aesope, medio sole quid cum lumine?"
"hominem," inquit, "quaero," et abiit festinans domum.
hoc si molestus ille ad animum rettulit,
sensit profecto se hominem non visum seni,
intempestive qui occupato adluserit.

Phaedrus 3. 19.

Aesopi nomen sicubi interposuero,
cui reddidi iampridem quicquid debui,
auctoritatis esse scito gratia:
ut quidam artifices nostro faciunt saeculo,
qui pretium operibus maius inveniunt novis,
si marmori adscripserunt Praxitelen suo,
trito Myronem argento, tabulae Zeuxidem.
adeo fucatae plus vetustati favet
invidia mordax quam bonis praesentibus.

id. 5. *prol.*

CLXXXIII

campus erat, campi claudebant ultima colles
  silvaque montanas occulere apta feras.
in medio paucos armentaque rara relinquunt,
  cetera virgultis abdita turba latet.
ecce velut torrens undis pluvialibus auctus
  aut nive quae zephyro victa tepente fluit,
per sata perque vias fertur nec, ut ante solebat,
  riparum clausas margine finit aquas:
sic Fabii vallem latis discursibus inplent,
  quodque vident sternunt, nec metus alter inest.
quo ruitis, generosa domus? male creditis hosti!
  simplex nobilitas, perfida tela cave!
fraude perit virtus. in apertos undique campos
  prosiliunt hostes et latus omne tenent.
quid faciant pauci contra tot milia fortes?
  quidve quod in misero tempore restet, adest?
sicut aper longe silvis Laurentibus actus
  fulmineo celeres dissipat ore canes,
mox tamen ipse perit, sic non moriuntur inulti
  vulneraque alterna dantque feruntque manu.
una dies Fabios ad bellum miserat omnes:
  ad bellum missos perdidit una dies.
ut tamen Herculeae superessent semina gentis
  credibile est ipsos consuluisse deos.
nam puer impubes et adhuc non utilis armis
  unus de Fabia gente relictus erat:
scilicet ut posses olim tu, Maxime, nasci,
  cui res cunctando restituenda foret.

Ov. *fast.* 2. 215-242.

CLXXXIV

Romae nutriri mihi contigit atque doceri
iratus Grais quantum nocuisset Achilles.
adiecere bonae paullo plus artis Athenae,
scilicet ut vellem curvo dinoscere rectum
atque inter silvas Academi quaerere verum.
dura sed emovere loco me tempora grato
civilisque rudem belli tulit aestus in arma
Caesaris Augusti non responsura lacertis.
unde simul primum me dimisere Philippi,
decisis humilem pennis inopemque paterni
et laris et fundi, paupertas impulit audax
ut versus facerem: sed quod non desit habentem
quae poterunt umquam satis expurgare cicutae,
ni melius dormire putem quam scribere versus?
singula de nobis anni praedantur euntes;
eripuere iocos, Venerem, convivia, ludum;
tendunt extorquere poemata: quid faciam vis?
denique non omnes eadem mirantur amantque:
carmine tu gaudes, hic delectatur iambis,
ille Bioneis sermonibus et sale nigro.
tres mihi convivae prope dissentire videntur,
poscentes vario multum diversa palato.

Hor. *ep.* 2. 2. 41-62.

CLXXXV

(*a*) mercari nostras si te piget, Urbice, nugas
et lasciva tamen carmina nosse libet,
Pompeium quaeres—et nosti forsitan—Auctum ;
Ultoris prima Martis in aede sedet,
iure madens varioque togae limatus in usu.
non lector meus hic, Urbice, sed liber est.
sic tenet absentes nostros cantatque libellos,
ut pereat chartis littera nulla meis.
denique si vellet poterat scripsisse videri ;
sed famae mavolt ille favere meae.
hunc licet a decima—neque enim satis ante vacabit—
sollicites : capiet cenula parva duos.
ille leget, bibe tu : nolis licet, ille sonabit ;
et cum "iam satis est" dixeris, ille leget.

Martial 7. 51.

(*b*) empta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducentis ;
abstulit hanc nimium casus in urbe frequens.
collatum est decies. rogo, non potes ipse videri
incendisse tuam, Tongiliane, domum?

id. 3. 52.

CLXXXVI

cum subit illius tristissima noctis imago
  qua mihi supremum tempus in Urbe fuit,
cum repeto noctem qua tot mihi cara reliqui,
  labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.
iam prope lux aderat qua me discedere Caesar
  finibus extremae iusserat Ausoniae.
adloquor extremum maestos abiturus amicos,
  qui modo de multis unus et alter erant.
uxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat,
  imbre per indignas usque cadente genas.
quocunque aspiceres, luctus gemitusque sonabant,
  formaque non taciti funeris intus erat.
femina virque meo, pueri quoque funere maerent,
  inque domo lacrimas angulus omnis habet:
si licet exemplis in parvis grandibus uti,
  haec facies Troiae, cum caperetur, erat.

. . . . . .

saepe vale dicto rursus sum multa locutus,
  et quasi discedens oscula summa dedi.
saepe eadem mandata dedi meque ipse fefelli,
  respiciens oculis pignora cara meis.
denique "quid propero? Scythia est quo mittimur," inquam,
  "Roma relinquenda est. utraque iusta mora est."

Ov. *trist.* I. 3. 1-6, 15-18, 21-26, 57-62.

CLXXXVII

(*Aeneas has pulled myrtle-boughs from a mound: the boughs drip with blood and a voice comes from the mound* "*I am Polydorus*")

hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
infelix Priamus furtim mandarat alendum
Threicio regi, cum iam diffideret armis
Dardaniae cingique urbem obsidione videret.
ille, ut opes fractae Teucrum, et fortuna recessit,
res Agamemnonias victriciaque arma secutus,
fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat et auro
vi potitur. quid non mortalia pectora cogis,
auri sacra fames?—postquam pavor ossa reliquit,
delectos populi ad proceres primumque parentem
monstra deum refero et quae sit sententia posco.
omnibus idem animus, scelerata excedere terra,
linqui pollutum hospitium et dare classibus austros.
ergo instauramus Polydoro funus, et ingens
aggeritur tumulo tellus. stant Manibus arae
caeruleis maestae vittis atraque cupresso;
et circum Iliades crinem de more solutae.
inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
sanguinis et sacri pateras, animamque sepulcro
condimus et magna supremum voce ciemus.

Verg. *Aen.* 3. 49-68.

CLXXXVIII

quisquis adest, faveat: fruges lustramus et agros,
ritus ut a prisco traditus exstat avo.
Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva
pendeat, et spicis tempora cinge, Ceres.
luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
et grave suspenso vomere cesset opus.
solvite vincla iugis: nunc ad praesepia debent
plena coronato stare boves capite.
omnia sint operata deo: non audeat ulla
lanificam pensis imposuisse manum.
casta placent superis: pura cum veste venite
et manibus puris sumite fontis aquam.
cernite fulgentes ut eat sacer agnus ad aras
vinctaque post olea candida turba comas.
di patrii, purgamus agros, purgamus agrestes;
vos mala de nostris pellite limitibus;
neu seges eludat messem fallacibus herbis
neu timeat celeres tardior agna lupos.
tunc nitidus plenis confisus rusticus agris
ingeret ardenti grandia ligna foco,
turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
ludet et ex virgis exstruet ante casas.

Tibull. 2. 1. 1-24 omitting 11, 12.

CLXXXIX

(*Ovid in exile at Tŏmi*)

hic ego finitimis quamvis circumsoner armis,
tristia, quo possum, carmine fata levo.
quod quamvis nemo est cuius referatur ad aures,
sic tamen absumo decipioque diem.
ergo quod vivo durisque laboribus obsto,
nec me sollicitae taedia lucis habent,
gratia, Musa, tibi; nam tu solacia praebes;
tu curae requies, tu medicina venis.
tu dux et comes es, tu nos abducis ab Histro,
in medioque mihī das Helicone locum.
tu mihi, quod rarum est, vivo sublime dedisti
nomen, ab exsequiis quod dare fama solet;
nec, qui detrectat praesentia, livor iniquo
ullum de nostris dente momordit opus.
nam tulerint magnos cum saecula nostra poetas,
non fuit ingenio fama maligna meo.
cumque ego praeponam multos mihi, non minor illis
dicor et in toto plurimus orbe legor.
si quid habent igitur vatum praesagia veri,
protinus ut moriar, non ero, terra, tuus.
sive favore tuli sive hanc ego carmine famam,
iure tibi grates, candide lector, ago.

Ov. *trist.* 4. 10. 111-132.

CXC

ipse uno graditur comitatus Achate,
bina manu lato crispans hastilia ferro.
cui mater media sese tulit obvia silva,
virginis os habitumque gerens et virginis arma
Spartanae, vel qualis equos Threissa fatigat
Harpalyce volucremque fuga praevertitur Hebrum.
namque umeris de more habilem suspenderat arcum
venatrix, dederatque comam diffundere ventis,
nuda genu nodoque sinus collecta fluentis.
ac prior, "heus," inquit, "iuvenes, monstrate, mearum
vidistis si quam hic errantem forte sororum,
succinctam pharetra et maculosae tegmine lyncis,
aut spumantis apri cursum clamore prementem."
sic Venus; et Veneris contra sic filius orsus:
"nulla tuarum audita mihi neque visa sororum,
o—quam te memorem, virgo? namque haut tibi voltus
mortalis, nec vox hominem sonat: o, dea certe;
an Phoebi soror? an Nympharum sanguinis una?
sis felix nostrumque leves quaecumque laborem,
et quo sub caelo tandem, quibus orbis in oris
iactemur, doceas."

Verg. *Aen.* I. 312-332.

CXCI

(*a*) iam ver egelidos refert tepores
iam caeli furor aequinoctialis
iucundis Zephyri silescit auris.
linquantur Phrygii, Catulle, campi
Nicaeaeque ager uber aestuosae:
ad claras Asiae volemus urbes.
iam mens praetrepidans avet vagari,
iam laeti studio pedes vigescunt.
o dulces comitum valete coetus,
longe quos simul a domo profectos
diversae variae viae reportant.

Catullus 46.

(*b*) disertissime Romuli nepotum,
quot sunt quotque fuere, Marce Tulli,
quotque post aliis erunt in annis,
gratias tibi maximas Catullus
agit pessimus omnium poeta,
tanto pessimus omnium poeta
quanto tu optimus omnium patronus.

id. 49.

CXCII

iam veris comites, quae mare temperant,
impellunt animae lintea Thraciae;
iam nec prata rigent, nec fluvii strepunt
    hiberna nive turgidi.
dicunt in tenero gramine pinguium
custodes ovium carmina fistula,
delectantque deum cui pecus et nigri
    colles Arcadiae placent.
adduxere sitim tempora, Vergili:
sed pressum Calibus ducere Liberum
si gestis, iuvenum nobilium cliens,
    nardo vina merebere.
nardi parvus onyx eliciet cadum,
qui nunc Sulpiciis accubat horreis,
spes donare novas largus amaraque
    curarum eluere efficax.
ad quae si properas gaudia, cum tua
velox merce veni: non ego te meis
immunem meditor tinguere poculis,
    plena dives ut in domo.
verum pone moras et studium lucri,
nigrorumque memor, dum licet, ignium
misce stultitiam consiliis brevem:
    dulce est desipere in loco.

Hor. *carm.* 4. 12 omitting 5-8.

CXCIII

ipse cava solans aegrum testudine amorem
te, dulcis coniunx, te solo in litore secum,
te veniente die, te decedente canebat.
Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
et caligantem nigra formidine lucum
ingressus Manesque adiit regemque tremendum
nesciaque humanis precibus mansuescere corda.
at cantu commotae Erebi de sedibus imis
umbrae ibant tenues simulacraque luce carentum,
quam multa in foliis avium se milia condunt,
vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber,
matres atque viri defunctaque corpora vita
magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae,
inpositique rogis iuvenes ante ora parentum;
quos circum limus niger et deformis harundo
Cocyti tardaque palus inamabilis unda
adligat et noviens Styx interfusa coercet.
quin ipsae stupuere domus atque intima Leti
Tartara caeruleosque inplexae crinibus angues
Eumenides tenuitque inhians tria Cerberus ora
atque Ixionii vento rota constitit orbis.

Verg. *georg.* 4. 463-83.

CXCIV

iamque pedem referens casus evaserat omnes
redditaque Eurydice superas veniebat ad auras
pone sequens—namque hanc dederat Proserpina legem—
cum subita incautum dementia cepit amantem,
ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes:
restitit, Eurydicenque suam iam luce sub ipsa
immemor, heu, victusque animi respexit. ibi omnis
effusus labor atque inmitis rupta tyranni
foedera, terque fragor stagnis auditus Avernis.
illa "quis et me," inquit, "miseram et te perdidit, Orpheu,
quis tantus furor? en iterum crudelia retro
fata vocant conditque natantia lumina somnus.
iamque vale: feror ingenti circumdata nocte
invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas."

. . . . . .

quid faceret? quo se rapta bis coniuge ferret?
quo fletu Manes, qua numina voce moveret?
illa quidem Stygia nabat iam frigida cumba.
septem illum totos perhibent ex ordine menses
rupe sub aeria deserti ad Strymonis undam
flevisse et gelidis haec evolvisse sub antris,
mulcentem tigres et agentem carmine quercus;
qualis populea maerens philomela sub umbra
amissos queritur fetus, quos durus arator
observans nido inplumes detraxit; at illa
flet noctem ramoque sedens miserabile carmen
integrat et maestis late loca questibus inplet.

Verg. *georg.* 4. 484-514 omitting 498-502.

CXCV

ipse seram teneras maturo tempore vites
  rusticus et facili grandia poma manu:
nec spes destituat, sed frugum semper acervos
  praebeat et pleno pinguia musta lacu.
nam veneror seu stipes habet desertus in agris
  seu vetus in trivio florida serta lapis:
et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
  libatum agricolae ponitur ante deo.
flava Ceres, tibi fit nostro de rure corona
  spicea, quae templi pendeat ante fores;
pomosisque ruber custos donatur in hortis
  terreat ut saeva falce Priapus aves.
vos quoque, felicis quondam nunc pauperis agri
  custodes, fertis munera vestra, lares:
tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos:
  nunc agna exigui est hostia parva soli:
agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
  clamet "io messes et bona vina date."
iam modo iam possim contentus vivere parvo
  nec semper longae deditus esse viae,
sed canis aestivos ortus vitare sub umbra
  arboris ad rivos praetereuntis aquae.
nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem
  aut stimulo tardos increpuisse boves,
non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
  desertum oblita matre referre domum.
at vos exiguo pecori furesque lupique
  parcite: de magno est praeda petenda grege.

Tibull. I. I. 7-34.

CXCVI

si possent homines, proinde ac sentire videntur
pondus inesse animo quod se gravitate fatiget,
e quibus id fiat causis quoque noscere et unde
tanta mali tamquam moles in pectore constet,
haut ita vitam agerent, ut nunc plerumque videmus
quid sibi quisque velit nescire et quaerere semper
commutare locum quasi onus deponere possit.
exit saepe foras magnis ex aedibus ille
esse domi quem pertaesumst, subitoque revertit,
quippe foris nilo melius qui sentiat esse.
currit agens mannos ad villam praecipitanter,
auxilium tectis quasi ferre ardentibus instans;
oscitat extemplo tetigit cum limina villae,
aut abit in somnum gravis atque oblivia quaerit,
aut etiam properans urbem petit atque revisit.

Lucr. 3. 1053-1067.

CXCVII

pater ipse colendi
haud facilem esse viam voluit, primusque per artem
movit agros, curis acuens mortalia corda,
nec torpere gravi passus sua regna veterno.
ante Iovem nulli subigebant arva coloni,
ne signare quidem aut partiri limite campum
fas erat: in medium quaerebant, ipsaque tellus
omnia liberius nullo poscente ferebat.
ille malum virus serpentibus addidit atris
praedarique lupos iussit pontumque moveri
mellaque decussit foliis ignemque removit
et passim rivis currentia vina repressit,
ut varias usus meditando extunderet artes
paulatim et sulcis frumenti quaereret herbam,
ut silicis venis abstrusum excuderet ignem.
tunc alnos primum fluvii sensere cavatas;
navita tum stellis numeros et nomina fecit,
Pleïadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton;
tum laqueis captare feras et fallere visco
inventum et magnos canibus circumdare saltus;
tum ferri rigor atque argutae lamina serrae—
nam primi cuneis scindebant fissile lignum—
tum variae venere artes. labor omnia vicit
improbus et duris urgens in rebus egestas.

Verg. *georg.* I. 121-146 omitting 141 f.

CXCVIII

ille redit laetus memoratque Quiritibus acta:
 tarda venit dictis difficilisque fides.
"at certe credemur," ait, "si verba sequetur
 exitus. en audi crastina, quisquis ades.
protulerit terris cum totum Cynthius orbem,
 Iuppiter imperii pignora certa dabit."
discedunt dubii, promissaque tarda videntur,
 dependetque fides a veniente die.
mollis erat tellus rorata mane pruina:
 ante sui populus limina regis adest.
prodit et in solio medius consedit acerno;
 innumeri circa stantque silentque viri.
ortus erat summo tantummodo margine Phoebus:
 sollicitae mentes speque metuque pavent.
constitit atque caput niveo velatus amictu
 iam bene dis notas sustulit ille manus,
atque ita "tempus adest promissi muneris" inquit;
 "pollicitam dictis, Iuppiter, adde fidem."
dum loquitur, totum iam sol emoverat orbem,
 et gravis aetherio venit ab axe fragor.
ter tonuit sine nube deus, tria fulgura misit.
 credite dicenti: mira sed acta loquor.
a media caelum regione dehiscere coepit:
 summisere oculos cum duce turba suo.
ecce levi scutum versatum leniter aura
 decidit. a populo clamor ad astra venit.

Ov. *fast.* 3. 349-374.

CXCIX

(*Continuation*)

tollit humo munus caesa prius ille iuvenca
quae dederat nulli colla premenda iugo,
atque ancile vocat quod ab omni parte recisum est,
quaque notes oculis angulus omnis abest.
tum memor imperii sortem consistere in illo,
consilium multae calliditatis init.
plura iubet fieri simili caelata figura,
error ut ante oculos insidiantis eat.
Mamurius (morum fabraene exactior artis,
difficile est illud dicere) clausit opus.
cui Numa munificus "facti pete praemia" dixit;
"si mea nota fides, inrita nulla petes."
iam dederat saliis a saltu nomina dicta
armaque et ad certos verba canenda modos.
tum sic Mamurius: "merces mihi gloria detur,
nominaque extremo carmine nostra sonent."
inde sacerdotes operi promissa vetusto
praemia persolvunt Mamuriumque vocant.
nubere si qua voles, quamvis properabitis ambo,
differ. habent parvae commoda magna morae.
arma movent pugnas. pugna est aliena maritis:
condita cum fuerint, aptius omen erit.
his etiam coniux apicati sancta Dialis
lucibus inpexas debet habere comas.

id. 3. 375–398.

CC

talibus amplifice vestis decorata figuris
pulvinar complexa suo velabat amictu.
quae postquam cupide spectando Thessala pubes
expletast, sanctis coepit decedere divis.
hic, qualis flatu placidum mare matutino
horrificans Zephyrus proclivis incitat undas
Aurora exoriente vagi sub limina Solis,
quae tarde primum clementi flamine pulsae
procedunt leviterque sonant plangore cachinni,
post vento crescente magis magis increbescunt
purpureaque procul nantes a luce refulgent,
sic ibi vestibulo linquentes regia tecta
ad se quisque vago passim pede discedebant.
quorum post abitum princeps e vertice Pelei
advenit Chiron portans silvestria dona:
nam quoscumque ferunt campi, quos Thessala magnis
montibus ora creat, quos propter fluminis undas
aura aperit flores tepidi fecunda Favoni,
hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
quo permulsa domus iucundo risit odore.

Catull. 64. 265-284.

CCI

(*Anchises shews to Aeneas Romans that shall be*)

"ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
victor aget currum caesis insignis Achivis.
eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas,
ipsumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli,
ultus avos Troiae templa et temerata Minervae.
quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Cosse, relinquat?
quis Gracchi genus, aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyae, parvoque potentem
Fabricium, vel te sulco, Serrane, serentem?
quo fessum rapitis, Fabii? tu Maxumus ille es
unus qui nobis cunctando restituis rem.
excudent alii spirantia mollius aera,
credo equidem, vivos ducent de marmore voltus,
orabunt causas melius caelique meatus
describent radio et surgentia sidera dicent:
tu regere imperio populos, Romane, memento:
hae tibi erunt artes, pacisque inponere morem,
parcere subiectis et debellare superbos."
sic pater Anchises, atque haec mirantibus addit:
"aspice ut insignis spoliis Marcellus opimis
ingreditur victorque viros supereminet omnis!
hic rem Romanam magno turbante tumultu
sistet, eques sternet Poenos Gallumque rebellem,
tertiaque arma patri suspendet capta Quirino."

Verg. *Aen.* 6. 836-859.

CCII

idibus est Annae festum geniale Perennae,
haud procul a ripis, advena Thybri, tuis.
plebs venit ac virides passim disiecta per herbas
potat et accumbit cum pare quisque sua.
sub Iove pars durat, pauci tentoria ponunt,
sunt quibus e ramis frondea facta casa est;
pars ubi pro rigidis calamos statuere columnis,
desuper extentas imposuere togas.
sole tamen vinoque calent annosque precantur
quot sumant cyathos, ad numerumque bibunt.
invenies illic qui Nestoris ebibat annos,
quae sit per calices facta Sibylla suos.
illic et cantant quicquid didicere theatris,
et iactant faciles ad sua verba manus;
et ducunt posito duras cratere choreas,
cultaque diffusis saltat amica comis.
cum redeunt titubant et sunt spectacula volgi
et fortunatos obvia turba vocat.

Ov. *fast.* 3. 523-540.

CCIII

(*a*) non de vi neque caede nec veneno,
sed lis est mihi de tribus capellis.
vicini queror has abesse furto.
hoc iudex sibi postulat probari:
tu Cannas Mithridaticumque bellum
et periuria Punici furoris
et Sullas Mariosque Muciosque
magna voce sonas manuque tota.
iam dic, Postume, de tribus capellis.

Mart. 6. 19.

(*b*) Pompeios iuvenes Asia atque Europa, sed ipsum
terra tegit Libyae, si tamen ulla tegit.
quid mirum toto si spargitur orbe? iacere
uno non poterat tanta ruina loco.

id. 5. 74.

CCIV

nunc age, res quoniam docui non posse creari
de nilo neque item genitas ad nil revocari,
nequa forte tamen coeptes diffidere dictis,
quod nequeunt oculis rerum primordia cerni,
accipe praeterea quae corpora tute necessest
confiteare esse in rebus nec posse videri.
principio venti vis verberat incita portus
ingentisque ruit navis et nubila differt,
interdum rapido percurrens turbine campos
arboribus magnis sternit montisque supremos
silvifragis vexat flabris: ita perfurit acri
cum fremitu saevitque minaci murmure ventus.
sunt igitur venti nimirum corpora caeca
quae mare, quae terras, quae denique nubila caeli
verrunt ac subito vexantia turbine raptant.

. . . . .

tum porro varios rerum sentimus odores
nec tamen ad naris venientis cernimus umquam,
nec calidos aestus tuimur nec frigora quimus
usurpare oculis nec voces cernere suemus;
quae tamen omnia corporea constare necessest
natura, quoniam sensus inpellere possunt.
tangere enim et tangi nisi corpus nulla potest res.

Lucr. I. 265-79, 298-304.

CCV

vixere fortes ante Agamemnona
multi ; sed omnes illacrimabiles
  urgentur ignotique longa
    nocte, carent quia vate sacro.
paullum sepultae distat inertiae
celata virtus. non ego te meis
  chartis inornatum sileri,
    totve tuos patiar labores
impune, Lolli, carpere lividas
obliviones. est animus tibi
  rerumque prudens et secundis
    temporibus dubiisque rectus.
non possidentem multa vocaveris
recte beatum : rectius occupat
  nomen beati qui deorum
    muneribus sapienter uti
duramque callet pauperiem pati,
peiusque leto flagitium timet,
  non ille pro caris amicis
    aut patria timidus perire.

Hor. *carm.* 4. 9. 25-36, 45-52.

CCVI

et iam Fama volans tanti praenuntia luctus
Evandrum Evandrique domos et moenia replet,
quae modo victorem Latio Pallanta ferebat.
Arcades ad portas ruere, et de more vetusto
funereas rapuere faces; lucet via longo
ordine flammarum, et late discriminat agros.
contra turba Phrygum veniens plangentia iungit
agmina. quae postquam matres succedere tectis
viderunt, maestam incendunt clamoribus urbem.
at non Evandrum potis est vis ulla tenere;
sed venit in medios. feretro Pallanta reposto
procubuit super, atque haeret lacrimansque gemensque,
et via vix tandem vocis laxata dolore est:
"non haec, o Palla, dederas promissa parenti,
cautius ut saevo velles te credere Marti.
haud ignarus eram quantum nova gloria in armis
et praedulce decus primo certamine posset.
primitiae iuvenis miserae bellique propinqui
dura rudimenta et nulli exaudita deorum
vota precesque meae! tuque, o sanctissima coniunx,
felix morte tua neque in hunc servata dolorem!
contra ego vivendo vici mea fata, superstes
restarem ut genitor. Troum socia arma secutum
obruerent Rutuli telis! animam ipse dedissem,
atque haec pompa domum me, non Pallanta, referret."

Verg. *Aen.* II. 139-163.

CCVII

Gnosis in ignotis amens errabat harenis,
  qua brevis aequoreis Dia feritur aquis.
utque erat e somno tunica velata recincta,
  nuda pedem, croceas inreligata comas,
Thesea crudelem surdas clamabat ad undas,
  indigno teneras imbre rigante genas.
clamabat flebatque simul; sed utrumque decebat;
  non facta est lacrimis turpior illa suis.
iamque iterum tundens mollissima pectora palmis
  "perfidus ille abiit: quid mihi fiet?" ait.
"quid mihi fiet?" ait. sonuerunt cymbala toto
  litore et adtonita tympana pulsa manu.
ecce Mimallonides sparsis in terga capillis,
  ecce leves Satyri, praevia turba dei.
iam deus in curru, quem summum texerat uvis,
  tigribus adiunctis aurea lora dabat.
et color et Theseus et vox abiere puellae:
  terque fugam petiit terque retenta metu est.
cui deus "en adsum tibi cura fidelior" inquit:
  "pone metum: Bacchi, Gnosias, uxor eris."
dixit et e curru, ne tigres illa timeret,
  desilit: inposito cessit harena pede.

Ov. *ars amat.* I. 527 ff., omitting some lines.

CCVIII

at vero Zephyris cum laeta vocantibus aestas
in saltus utrumque gregem atque in pascua mittet,
Luciferi primo cum sidere frigida rura
carpamus dum mane novum, dum gramina canent,
et ros in tenera pecori gratissimus herba.
inde ubi quarta sitim caeli collegerit hora
et cantu querulae rumpent arbusta cicadae,
ad puteos aut alta greges ad stagna iubebo
currentem ilignis potare canalibus undam;
aestibus at mediis umbrosam exquirere vallem,
sicubi magna Iovis antiquo robore quercus
ingentes tendat ramos, aut sicubi nigrum
ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra;
tum tenues dare rursus aquas et pascere rursus
solis ad occasum, cum frigidus aera vesper
temperat et saltus reficit iam roscida luna.
  quid tibi pastores Libyae, quid pascua versu
prosequar et raris habitata mapalia tectis?
saepe diem noctemque et totum ex ordine mensem
pascitur itque pecus longa in deserta sine ullis
hospitiis: tantum campi iacet. omnia secum
armentarius Afer agit, tectumque Laremque
armaque Amyclaeumque canem Cressamque pharetram.

Verg. *georg.* 3. 322-45, omitting 338.

CCIX

quid quisque vitet, numquam homini satis
cautum est in horas: navita Bosporum
  Poenus perhorrescit neque ultra
    caeca timet aliunde fata,
miles sagittas et celerem fugam
Parthi, catenas Parthus et Italum
  robur, sed improvisa leti
    vis rapuit rapietque gentes.
quam paene furvae regna Proserpinae
et iudicantem vidimus Aeacum
  sedesque discretas piorum et
    Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus,
et te sonantem plenius aureo,
  Alcaee, plectro dura navis,
    dura fugae mala, dura belli!
utrumque sacro digna silentio
mirantur umbrae dicere; sed magis
  pugnas et exactos tyrannos
    densum umeris bibit aure volgus.

Hor. *carm.* 2. 13. 13-32.

CCX

Cossus at insequitur Veientis caede Tolumni,
    vincere cum Veios posse laboris erat.
heu, Vei veteres, et vos tum regna fuistis,
    et vestro posita est aurea sella foro:
nunc intra muros pastoris bucina lenti
    cantat et in vestris ossibus arva metunt.
forte super portae dux Veius astitit arcem
    colloquiumque sua fretus ab urbe dedit;
dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
    vinea qua ductum longa tegebat opus,
Cossus ait "forti melius concurrere campo."
    nec mora fit; plano sistit uterque gradum.
di Latias iuvere manus; desecta Tolumni
    cervix Romanos sanguine lavit equos.

Propertius 4 (5). 10. 23 ff.

CCXI

(From a marriage song)

vosque item simul, integrae
virgines, quibus advenit
par dies, agite in modum
dicite "o Hymenaee Hymen,
  o Hymen Hymenaee,"
ut lubentius, audiens
se citarier ad suom
munus, huc aditum ferat
dux bonae Veneris, boni
  coniugator amoris.
quis deus magis est ama-
tis petendus amantibus?
quem colent homines magis
caelitum? o Hymenaee Hymen,
  o Hymen Hymenaee.
nulla quit sine te domus
liberos dare, nec parens
stirpe nitier: at potest
te volente. quis huic deo
  conpararier ausit?
. . . . .
Torquatus volo parvolus
matris e gremio suae
porrigens teneras manus
dulce rideat ad patrem
  semihiante labello.

Catullus 61. 36-50, 66-70, 212-216.

CCXII

nunc age quod superest cognosce et clarius audi.
nec me animi fallit quam sint obscura ; sed acri
percussit thyrso laudis spes magna meum cor
et simul incussit suavem mi in pectus amorem
musarum, quo nunc instinctus mente vigenti
avia Pieridum peragro loca nullius ante
trita solo. iuvat integros accedere fontis
atque haurire, iuvatque novos decerpere flores
insignemque meo capiti petere inde coronam
unde prius nulli velarint tempora musae ;
primum quod magnis doceo de rebus et artis
religionum animum nodis exsolvere pergo,
deinde quod obscura de re tam lucida pango
carmina musaeo contingens cuncta lepore.
id quoque enim non ab nulla ratione videtur :
sed veluti pueris absinthia taetra medentes
cum dare conantur, prius oras pocula circum
contingunt mellis dulci flavoque liquore,
ut puerorum aetas inprovida ludificetur
labrorum tenus, interea perpotet amarum
absinthi laticem deceptaque non capiatur,
sed potius tali pacto recreata valescat,
sic ego nunc, quoniam haec ratio plerumque videtur
tristior esse quibus non est tractata, retroque
volgus abhorret ab hac, volui tibi suaviloquenti
carmine Pierio rationem exponere nostram,
et quasi musaeo dulci contingere melle,
si tibi forte animum tali ratione tenere
versibus in nostris possem, dum perspicis omnem
naturam rerum qua constet compta figura.

 Lucr. I. 921-950.

CCXIII

divis orte bonis, optume Romulae
custos gentis, abes iam nimium diu;
maturum reditum pollicitus patrum
    sancto consilio, redi.
lucem redde tuae, dux bone, patriae:
instar veris enim voltus ubi tuus
adfulsit populo, gratior it dies,
    et soles melius nitent.
ut mater iuvenem quem Notus invido
flatu Carpathii trans maris aequora
cunctantem spatio longius annuo
    dulci distinet a domo,
votis ominibusque et precibus vocat,
curvo nec faciem litore demovet:
sic desideriis icta fidelibus
    quaerit patria Caesarem.
tutus bos etenim rura perambulat,
nutrit rura Ceres almaque Faustitas,
pacatum volitant per mare navitae,
    culpari metuit fides.
condit quisque diem collibus in suis,
et vitem viduas ducit ad arbores;
hinc ad vina redit laetus et alteris
    te mensis adhibet deum;
te multa prece, te prosequitur mero
defuso pateris, et Laribus tuum
miscet numen, uti Graecia Castoris
    et magni memor Herculis.

Hor. *carm.* 4. 5. 1-20, 29-36.

CCXIV

proxima Circaeae raduntur litora terrae,
dives inaccessos ubi Solis filia lucos
adsiduo resonat cantu, tectisque superbis
urit odoratam nocturna in lumina cedrum,
arguto tenuis percurrens pectine telas.
hinc exaudiri gemitus iraeque leonum,
vincla recusantum et sera sub nocte rudentum,
saetigerique sues atque in praesepibus ursi
saevire, ac formae magnorum ululare luporum,
quos hominum ex facie dea saeva potentibus herbis
induerat Circe in vultus ac terga ferarum.
quae ne monstra pii paterentur talia Troes
delati in portus, neu litora dira subirent,
Neptunus ventis implevit vela secundis,
atque fugam dedit, et praeter vada fervida vexit.
  iamque rubescebat radiis mare et aethere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:
cum venti posuere omnisque repente resedit
flatus et in lento luctantur marmore tonsae.
atque hic Aeneas ingentem ex aequore lucum
prospicit. hunc inter fluvio Tiberinus amoeno
verticibus rapidis et multa flavus harena
in mare prorumpit. variae circumque supraque
adsuetae ripis volucres et fluminis alveo
aethera mulcebant cantu lucoque volabant.

Verg. *Aen.* 7. 10-34.

CCXV

at tu casta precor maneas, sanctique pudoris
  adsideat custos sedula semper anus.
haec tibi fabellas referat positaque lucerna
  deducat plena stamina longa colu:
at circa gravibus pensis adfixa puella
  paulatim somno fessa remittat opus.
tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
  sed videar caelo missus adesse tibi.
tunc mihi qualis eris longos turbata capillos
  obvia nudato, Delia, curre pede.
hoc precor; hunc illum nobis Aurora nitentem
  Luciferum roseis candida portet equis.

Tibull. I. 3. 83-94.

CCXVI

o fortunatos nimium, sua si bona norint,
agricolas, quibus ipsa, procul discordibus armis,
fundit humo facilem victum iustissima tellus!
si non ingentem foribus domus alta superbis
mane salutantum totis vomit aedibus undam,
nec varios inhiant pulchra testudine postis
inlusasque auro vestes Ephyreiaque aera,
alba neque Assyrio fucatur lana veneno,
nec casia liquidi corrumpitur usus olivi:
at secura quies et nescia fallere vita,
dives opum variarum, at latis otia fundis,
speluncae vivique lacus, at frigida Tempe
mugitusque boum mollesque sub arbore somni
non absunt; illic saltus ac lustra ferarum,
et patiens operum exiguoque adsueta iuventus,
sacra deum, sanctique patres; extrema per illos
iustitia excedens terris vestigia fecit.

Verg. *georg.* 2. 458-74.

CCXVII

me vero primum dulces ante omnia Musae,
quarum sacra fero ingenti percussus amore,
accipiant, caelique vias et sidera monstrent,
defectus solis varios lunaeque labores;
unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant
obicibus ruptis rursusque in se ipsa residant,
quid tantum Oceano properent se tinguere soles
hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.
sin has ne possim naturae accedere partes
frigidus obstiterit circum praecordia sanguis,
rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes,
flumina amem silvasque inglorius. . . .
felix qui potuit rerum cognoscere causas
atque metus omnes et inexorabile fatum
subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari.
fortunatus et ille deos qui novit agrestes
Panaque Silvanumque senem Nymphasque sorores.
illum non populi fasces, non purpura regum
flexit et infidos agitans discordia fratres,
aut coniurato descendens Dacus ab Histro,
non res Romanae perituraque regna; neque ille
aut doluit miserans inopem aut invidit habenti.

Verg. *georg.* 2. 475-99, omitting 487-9.

CCXVIII

nunc ad me redeo libertino patre natum,
quem rodunt omnes libertino patre natum,
nunc quia sim tibi, Maecenas, convictor, at olim
quod mihi pareret legio Romana tribuno.
dissimile hoc illi est, quia non, ut forsit honorem
iure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum,
praesertim cautum dignos adsumere, prava
ambitione procul. felicem dicere non hoc
me possim, casu quod te sortitus amicum:
nulla etenim mihi te fors optulit; optimus olim
Vergilius, post hunc Varius dixere quid essem.
ut veni coram, singultim pauca locutus
(infans namque pudor prohibebat plura profari),
non ego me claro natum patre, non ego circum
me Satureiano vectari rura caballo,
sed quod eram narro. respondes, ut tuus est mos,
pauca: abeo et revocas nono post mense iubesque
esse in amicorum numero. magnum hoc ego duco,
quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
non patre praeclaro sed vita et pectore puro.

Hor. *sat.* I. 6. 45-64.

CCXIX

cum mihi pomiferis coniunx foret orta Faliscis,
moenia contigimus victa, Camille, tibi.
casta sacerdotes Iunoni festa parabant
per celebres ludos indigenamque bovem.
grande morae pretium ritus cognoscere, quamvis
difficilis clivis huc via praebet iter.
stat vetus et densa praenubilus arbore lucus.
adspice: concedes numen inesse loco.
accipit ara preces votivaque tura piorum,
ara per antiquas facta sine arte manus
hinc, ubi praesonuit sollemni tibia cantu,
it per velatas annua pompa vias.
ducuntur niveae populo plaudente iuvencae
quas aluit campis herba Falisca suis,
et vituli nondum metuenda fronte minaces,
et minor ex humili victima porcus hara,
duxque gregis cornu per tempora dura recurvo:
invisa est dominae sola capella deae.
qua ventura dea est, iuvenes timidaeque puellae
praeverrunt latas veste iacente vias.
virginei crines auro gemmaque premuntur,
et tegit auratos palla superba pedes.
more patrum Graio velatae vestibus albis
tradita supposito vertice sacra ferunt.
Argiva est pompae facies; Agamemnone caeso
et scelus et patrias fugit Halaesus opes;
iamque pererratis profugus terraque fretoque
moenia felici condidit alta manu.
ille suos docuit Iunonia sacra Faliscos.
sint mihi, sint populo semper amica suo.

Ov. *amor.* 3. 13, omitting 19-22, 29 f.

CCXX

(*Address to Epicurus*)

tu, pater, es rerum inventor, tu patria nobis
suppeditas praecepta, tuisque ex, inclute, chartis,
floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
aurea, perpetua semper dignissima vita.
nam simul ac ratio tua coepit vociferari
naturam rerum, divina mente coorta,
diffugiunt animi terrores, moenia mundi
discedunt, totum video per inane geri res.
apparet divum numen sedesque quietae
quas neque concutiunt venti nec nubila nimbis
aspergunt neque nix acri concreta pruina
cana cadens violat, semperque innubilus aether
integit et large diffuso lumine rident.
omnia suppeditat porro natura neque ulla
res animi pacem delibat tempore in ullo.
at contra nusquam apparent Acherusia templa
nec tellus obstat quin omnia dispiciantur,
sub pedibus quaecumque infra per inane geruntur.
his ibi me rebus quaedam divina voluptas
percipit atque horror, quod sic natura tua vi
tam manifesta patens ex omni parte retecta est.

Lucr. 3. 9-30.

CCXXI

Septimi, Gades aditure mecum et
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra et
barbaras Syrtes, ubi Maura semper
aestuat unda,
Tibur Argeo positum colono
sit meae sedes utinam senectae,
sit modus lasso maris et viarum
militiaeque!
unde si Parcae prohibent iniquae,
dulce pellitis ovibus Galaesi
flumen et regnata petam Laconi
rura Phalantho.
ille terrarum mihi praeter omnes
angulus ridet, ubi non Hymetto
mella decedunt viridique certat
baca Venafro;
ver ubi longum tepidasque praebet
Iuppiter brumas et amicus Aulon
fertili Baccho minimum Falernis
invidet uvis.
ille te mecum locus et beatae
postulant arces; ibi tu calentem
debita sparges lacrima favillam
vatis amici.

Hor. *carm.* 2. 6.

CCXXII

(*a*) municipes, Augusta mihi quos Bilbilis acri
  monte creat, rapidis quem Salo cingit aquis,
ecquid laeta iuvat vestri vos gloria vatis?
  nam decus et nomen famaque vestra sumus.
nec sua plus debet tenui Verona Catullo
  meque velit dici non minus illa suum.
quattuor accessit tricesima messibus aestas,
  ut sine me Cereri rustica liba datis,
moenia dum colimus dominae pulcherrima Romae;
  mutavere meas Itala regna comas.
excipitis placida reducem si mente, venimus;
  aspera si geritis corda, redire licet.

Mart. 10. 103.

(*b*) retia dum cessant latratoresque Molossi
  et non invento silva quiescit apro,
otia, Prisce, brevi poteris donare libello.
  hora nec aestiva est nec tibi tota perit.

id. 12. 1.

CCXXIII

hic annis gravis atque animi maturus Aletes :
"di patrii, quorum semper sub numine Troia est,
non tamen omnino Teucros delere paratis,
cum talis animos iuvenum et tam certa tulistis
pectora." sic memorans umeros dextrasque tenebat
amborum et voltum lacrimis atque ora rigabat.
"quae vobis, quae digna, viri, pro laudibus istis
praemia posse rear solvi? pulcherrima primum
di moresque dabunt vestri; tum cetera reddet
actutum pius Aeneas atque integer aevi
Ascanius, meriti tanti non immemor umquam."
"immo ego vos, cui sola salus genitore reducto,"
excipit Ascanius, "per magnos, Nise, Penatis
Assaracique Larem et canae penetralia Vestae
obtestor,—quaecumque mihi fortuna fidesque est,
in vestris pono gremiis—: revocate parentem,
reddite conspectum: nihil illo triste recepto.
bina dabo argento perfecta atque aspera signis
pocula, devicta genitor quae cepit Arisba,
et tripodas geminos, auri duo magna talenta,
cratera anticum quem dat Sidonia Dido."

Verg. *Aen.* 9. 246-266.

CCXXIV

pars me Sulmo tenet Paeligni tertia ruris,
  parva sed inriguis ora salubris aquis.
sol licet admoto tellurem sidere findat,
  et micet Icarii stella proterva canis:
arva pererrantur Paeligna liquentibus undis
  et viret in tenero fertilis herba solo.
terra ferax Cereris multoque feracior uvis;
  dat quoque baciferam Pallada rarus ager.
perque resurgentes rivis labentibus herbas
  gramineus madidam caespes obumbrat humum.
. . . . . .
at sine te, quamvis operosi vitibus agri
  me teneant, quamvis amnibus arva natent,
et vocet in rivos currentem rusticus undam,
  frigidaque arboreas mulceat aura comas:
non ego Paelignos videor celebrare salubres,
  non ego natalem, rura paterna, locum,
sed Scythiam Cilicasque feros viridesque Britannos,
  quaeque Prometheo saxa cruore rubent.
ulmus amat vitem, vitis non deserit ulmum:
  separor a domina cur ego saepe mea?
at mihi te comitem iuraras usque futuram
  per me perque oculos, sidera nostra, tuos.
verba puellarum foliis leviora caducis
  inrita qua visum est ventus et unda ferunt.
siqua mei tamen est in te pia cura relicti,
  incipe pollicitis addere facta tuis.

Ov. *amor*. 2. 16. 1-10, 33-48.

CCXXV

diffugere nives, redeunt iam gramina campis
arboribusque comae,
mutat terra vices et decrescentia ripas
flumina praetereunt;
Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
ducere nuda choros.
inmortalia ne speres, monet annus et almum
quae rapit hora diem.
frigora mitescunt Zephyris, ver proterit aestas
interitura, simul
pomifer autumnus fruges effuderit, et mox
bruma recurrit iners.
damna tamen celeres reparant caelestia lunae:
nos ubi decidimus,
quo pius Aeneas, quo Tullus dives et Ancus,
pulvis et umbra sumus.
quis scit an adiciant hodiernae crastina summae
tempora di superi?
cuncta manus avidas fugient heredis amico
quae dederis animo.
cum semel occideris et de te splendida Minos
fecerit arbitria,
non, Torquate, genus, non te facundia, non te
restituet pietas:
infernis neque enim tenebris Diana pudicum
liberat Hippolytum,
nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro
vincula Pirithoo.

Hor. *carm.* 4. 7.

CCXXVI

ecce, parat Caesar domito quod defuit orbi
addere; nunc, Oriens ultime, noster eris.
Parthe, dabis poenas: Crassi gaudete sepulti,
signaque barbaricas non bene passa manus.
ultor adest primisque ducem profitetur in annis
bellaque non puero tractat agenda puer.
parcite natales timidi numerare deorum:
Caesaribus virtus contigit ante diem.
parvus erat manibusque duos Tirynthius angues
pressit et in cunis iam Iove dignus erat.
nunc quoque qui puer es, quantus tum, Bacche, fuisti,
cum timuit thyrsos India victa tuos?
vincuntur causa Parthi: vincantur et armis.
Eoas Latio dux meus addat opes.
auguror, en, vinces, votivaque carmina reddam,
et magno nobis ore sonandus eris.
tergaque Parthorum Romanaque pectora dicam
telaque ab averso quae iacit hostis equo.
qui fugis ut vincas, quid victo, Parthe, relinquis?
Parthe, malum iam nunc Mars tuus omen habet.
ergo erit illa dies qua tu, pulcherrime rerum,
quattuor in niveis aureus ibis equis.
ibunt ante duces onerati colla catenis,
ne possint tuti, qua prius, esse fuga.

Ov. *ars amat.* I. 177 ff. omitting some lines.

CCXXVII

Demipho. Geta. Hegio. Cratinus. Crito.

D. quantá me cura et sóllicitudine ádficit
gnatús, qui me et se hisce ínpedivit núptiis.
neque mi ín conspectum pródit, ut saltém sciam
quid de eá re dicat quídve sit senténtiae.
abi víse rediertne iam an nondúm domum.
G. eó. D. videtis quo ín loco res haéc siet:
quid agó? dic, Hegio. H. égo? Cratinum cénseo,
si tíbi videtur. D. díc, Cratine. Cra. méne vis?
D. te. Cra. ego quae ín rem tuam sint, éa velim faciás. mihi
sic hóc videtur: quód te absente hic fílius
egít, restitui in íntegrum aequom est ét bonum.
et id ínpetrabis. díxi. D. dic nunc, Hégio.
H. ego sédulo hunc dixísse credo; vérum ita est,
quot hómines tot senténtiae; suus cuíque mos.
mihi nón videtur quód sit factum légibus
rescíndi posse; et túrpe inceptu est. D. díc, Crito.
Cri. ego ámplius delíberandum cénseo:
res mágna est. H. numquid nós vis? D. fecistís probe:
incértior sum múlto quam dudúm. G. negant
redísse. D. frater ést exspectandús mihi:
is quód mihi dederit de hác re consilium, íd sequar.
percóntatum ibo ad pórtum, quoad se récipiat.
G. at ego Ántiphonem quaéram, ut quae acta hic sínt sciat.
sed eccum ípsum video in témpore huc se récipere.

Ter. *Phorm.* 2. 4.

CCXXVIII

(Ovid's book finds itself in Rome, having come from Tŏmi)

"quod neque sum cedro flavus nec pumice levis,
erubui domino cultior esse meo;
littera suffusas quod habet maculosa lituras,
laesit opus lacrimis ipse poeta suum.
si qua videbuntur casu non dicta Latine,
in qua scribebat, barbara terra fuit.
dicite, lectores, si non grave, qua sit eundum
quasque petam sedes hospes in Urbe liber."
haec ubi sum furtim lingua titubante locutus,
qui mihi monstraret vix fuit unus iter.
"di tibi dent nostro quod non tribuere poetae,
molliter in patria vivere posse tua.
duc age; namque sequar quamvis terraque marique
longinquo referam lassus ab orbe pedem."
paruit et ducens "haec sunt fora Caesaris," inquit
"haec est a sacris quae via nomen habet,
hic locus est Vestae, qui Pallada servat et ignem,
haec fuit antiqui regia parva Numae."
inde petens dextram "porta est" ait "ista Palati,
hic Stator, hoc primum condita Roma loco est."
singula dum miror, video fulgentibus armis
conspicuos postes tectaque digna deo.
"et Iovis haec" dixi "domus est?" quod ut esse putarem
augurium menti querna corona dabat.
cuius ut accepi dominum, "non fallimur," inquam,
et magni verum est hanc Iovis esse domum."

Ov. *trist.* 3. 1. 13-38.

CCXXIX

(*Virgil is describing the shield made for Aeneas by Vulcan*)

in medio classes aeratas, Actia bella,
cernere erat; totumque instructo Marte videres
fervere Leucaten auroque effulgere fluctus.
hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar
cum patribus populoque, Penatibus et magnis dis,
stans celsa in puppi; geminas cui tempora flammas
laeta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.
parte alia ventis et dis Agrippa secundis
arduus agmen agens; cui, belli insigne superbum,
tempora navali fulgent rostrata corona.
hinc ope barbarica variisque Antonius armis,
victor ab Aurorae populis et litore rubro,
Aegyptum viresque Orientis et ultima secum
Bactra vehit; sequiturque, nefas, Aegyptia coniunx.
una omnes ruere, ac totum spumare reductis
convolsum remis rostrisque tridentibus aequor.
alta petunt; pelago credas innare revolsas
Cycladas aut montes concurrere montibus altos:
tanta mole viri turritis puppibus instant.

Verg. *Aen.* 8. 675-93.

CCXXX

"sunt quibus in satura videar nimis acer et ultra
legem tendere opus; sine nervis altera quicquid
composui pars esse putat similisque meorum
mille die versus deduci posse. Trebati,
quid faciam praescribe." "quiescas." "ne faciam, inquis,
omnino versus?" "aio." "peream male, si non
optimum erat; verum nequeo dormire." "ter uncti
transnanto Tiberim somno quibus est opus alto,
irriguumque mero sub noctem corpus habento.
aut si tantus amor scribendi te rapit, aude
Caesaris invicti res dicere, multa laborum
praemia laturus." "cupidum, pater optime, vires
deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
agmina nec fracta pereuntis cuspide Gallos
aut labentis equo describat volnera Parthi."

Hor. *sat.* 2. 1. 1-15.

CCXXXI

amnis, harundinibus limosas obsite ripas,
ad dominam propero : siste parumper aquas.
nec tibi sunt pontes nec quae sine remigis ictu
concava traiecto cumba rudente vehat.
parvus eras, memini, nec te transire refugi,
summaque vix talos contigit unda meos.
nunc ruis adposito nivibus de monte solutis,
et turpi crassas gurgite volvis aquas.
quid properasse iuvat, quid parca dedisse quieti
tempora, quid nocti conseruisse diem,
si tamen hic standum est, si non datur artibus ullis
ulterior nostro ripa premenda pedi?
nunc ego quas habuit pinnas Danaeius heros
terribili densum cum tulit angue caput,
nunc opto currum de quo Cerialia primum
semina venerunt in rude missa solum.
prodigiosa loquor veterum mendacia vatum ;
nec tulit haec umquam nec feret ulla dies.
tu potius, ripis effuse capacibus amnis,
(sic aeternus eas) labere fine tuo.
non eris invidiae, torrens, mihi crede, ferendae
si dicar per te forte retentus amans.
flumina debuerunt iuvenes in amore iuvare ;
flumina senserunt ipsa quid esset amor.

Ov. *amor.* 3. 6. 1-24.

CCXXXII

MENAECHMUS EPIDAMNIENSIS. MESSENIO. MENAECHMUS SYRACUSANUS.

MES. di ínmortales, quíd ego video? MEN. S. quíd vides? MES. speculúm tuom.
ádulescens, quaeso hércle, eloquere tuóm mihi nomen, nísi piget.
MEN. E. nón edepol ita prómeruisti dé me ut pigeat quaé velis
éloqui. mihíst Menaechmo nómen. MEN. S. immo edepól mihi.
MEN. E. Sículus sum Syrácusanus. MEN. S. éadem pol patriást mihi.

. . . . . .

MES. sévocabo erúm. Menaechme. MEN. AMBO. quíd vis? MES. non ambós volo;
séd uter vostrorum ést advectus mécum navi? MEN. E. nón ego.
MEN. S. át ego. MES. te volo ígitur. huc concéde. MEN. S. concessí. quid est?
MES. íllic homo aut est sýcophanta aut géminus est fratér tuos;
nam égo hominem hominis símiliorem númquam vidi álterum,
quam híc tuist tuque húius autem; póst eandem patriam ác patrem
mémorat. meliust nós adire átque hunc percontárier.
MEN. S. hércle qui tu me ádmonuisti récte et habeo grátiam.

Plaut. *Menaech.* 5. 9. 3 ff. (1042 ff.) omitting some lines.

CCXXXIII

(*a*) cur saepe sicci parva rura Nomenti
laremque villae sordidum petam quaeris.
nec cogitandi, Sparse, nec quiescendi
in urbe locus est pauperi. negant vitam
ludimagistri mane, nocte pistores,
aerariorum marculi die toto.
nec turba cessat entheata Bellonae,
nec fasciato naufragus loquax trunco,
a matre doctus nec rogare Iudaeus.
tu, Sparse, nescis ista, nec potes scire,
Petilianis delicatus in regnis,
cui plana summos despicit domus montes,
et rus in urbe est vinitorque Romanus,
nec in Falerno colle maior auctumnus,
intraque limen clusus essedo cursus,
et in profundo somnus, et quies nullis
offensa linguis, nec dies nisi admissus.
nos transeuntis risus excitat turbae,
et ad cubile est Roma. taedio fessis
dormire quotiens libuit, imus ad villam.

Mart. 12. 57. 1-6, 11-13, 18 ff.

(*b*) si credis mihi, Quinte, quod mereris,
natales, Ovidi, tuas Apriles
ut nostras amo Martias Kalendas.
felix utraque lux diesque nobis
signandi melioribus lapillis.
hic vitam tribuit, sed hic amicum.
plus dant, Quinte, mihi tuae Kalendae.

id. 9. 52.

CCXXXIV

ille potens sui
laetusque deget cui licet in diem
dixisse: "vixi. cras vel atra
nube polum pater occupato,
vel sole puro: non tamen inritum
quodcumque retro est efficiet neque
diffinget infectumque reddet
quod fugiens semel hora vexit."
Fortuna saevo laeta negotio et
ludum insolentem ludere pertinax
transmutat incertos honores,
nunc mihi nunc alii benigna.
laudo manentem; si celeris quatit
pennas, resigno quae dedit et mea
virtute me involvo probamque
pauperiem sine dote quaero.
non est meum, si mugiat Africis
malus procellis, ad miseras preces
decurrere et votis pacisci
ne Cypriae Tyriaeque merces
addant avaro divitias mari:
tunc me biremis praesidio scaphae
tutum per Aegaeos tumultus
aura feret geminusque Pollux.

Hor. *carm.* 3. 29. 41-64.

CCXXXV

(*Extracts from Ovid's autobiography*)

Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,
  milia qui novies distat ab urbe decem.
editus hic ego sum, nec non ut tempora noris,
  cum cecidit fato consul uterque pari.
nec stirps prima fui: genito sum fratre creatus,
  qui tribus ante quater mensibus ortus erat.
protinus excolimur teneri curaque parentis
  imus ad insignes urbis ab arte viros.
frater ad eloquium viridi tendebat ab aevo,
  fortia verbosi natus ad arma fori.
at mihi iam puero caelestia sacra placebant,
  inque suum furtim Musa trahebat opus.
saepe pater dixit "studium quid inutile temptas?
  Maeonides nullas ipse reliquit opes."
motus eram dictis totoque Helicone relicto
  scribere temptabam verba soluta modis:
sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,
  et quod temptabam dicere, versus erat.
iamque decem vitae frater geminaverat annos,
  cum perit et coepi parte carere mei.

. . . . . .

temporis illius colui fovique poetas,
  quotque aderant vates, rebar adesse deos.
saepe suos solitus recitare Propertius ignes
  iure sodalicii quo mihi iunctus erat.
et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
  dum ferit Ausonia carmina culta lyra.
Vergilium vidi tantum, nec avara Tibullo
  tempus amicitiae fata dedere meae.

Ov. *trist.* 4. 10. 3 ff. omitting some lines.

CCXXXVI

(*a*) ut poscas, Clyte, munus exigasque
uno nasceris octies in anno
et solas, puto, tresve quattuorve
non natalicias habes Kalendas.
sit voltus tibi levior licebit
tritis litoris aridi lapillis,
sit moro coma nigrior caduco,
tu nobis, Clyte, iam senex videris.
tam multos quis enim fuisse credat
natales Priamive Nestorisve?

Mart. 8. 64. 1-7, 12-14.

(*b*) ducit ad auriferas quod me Salo Celtiber oras,
pendula quod patriae visere tecta libet,
tu mihi simplicibus, Mani, dilectus ab annis
et praetextata cultus amicitia,
tu facis, in terris quo non est alter Hiberis
dulcior et vero dignus amore magis.
tecum ego vel sicci Gaetula mapalia Poeni
et poteram Scythicas hostis amare casas.
si tibi mens eadem, si nostri mutua cura est,
in quocumque loco Roma duobus erit.

id. 10. 20.

CCXXXVII

pulsus ob invidiam regno viresque superbas
Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe,
infantem fugiens media inter proelia belli
sustulit exilio comitem, matrisque vocavit
nomine Casmillae, mutata parte, Camillam.
ipse sinu prae se portans iuga longa petebat
solorum nemorum; tela undique saeva premebant,
et circumfuso volitabant milite Volsci.
ecce, fugae medio, summis Amasenus abundans
spumabat ripis; tantus se nubibus imber
ruperat. ille, innare parans, infantis amore
tardatur caroque oneri timet. omnia secum
versanti subito vix haec sententia sedit:
telum inmane, manu valida quod forte gerebat
bellator, solidum nodis et robore cocto,
huic natam, libro et silvestri subere clausam,
implicat, atque habilem mediae circumligat hastae;
quam dextra ingenti librans ita ad aethera fatur:
"alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia virgo,
ipse pater famulam voveo: tua prima per auras
tela tenens supplex hostem fugit. accipe, testor,
diva, tuam, quae nunc dubiis committitur auris."
dixit et adducto contortum hastile lacerto
inmittit: sonuere undae; rapidum super amnem
infelix fugit in iaculo stridente Camilla.

Verg. *Aen.* 11. 539-563.

CCXXXVIII

praeterea caeli rationes ordine certo
et varia annorum cernebant tempora verti
nec poterant quibus id fieret cognoscere causis.
ergo perfugium sibi habebant omnia divis
tradere et illorum nutu facere omnia flecti.
in caeloque deum sedes et templa locarunt,
per caelum volvi quia nox et luna videtur,
luna dies et nox et noctis signa severa
noctivagaeque faces caeli flammaeque volantes,
nubila sol imbres nix venti fulmina grando
et rapidi fremitus et murmura magna minarum.
  o genus infelix humanum, talia divis
cum tribuit facta atque iras adiunxit acerbas!
quantos tum gemitus ipsi sibi, quantaque nobis
volnera, quas lacrimas peperere minoribu' nostris!
nec pietas ullast velatum saepe videri
vertier ad lapidem atque omnis accedere ad aras
nec procumbere humi prostratum et pandere palmas
ante deum delubra nec aras sanguine multo
spargere quadrupedum nec votis nectere vota,
sed mage pacata posse omnia mente tueri.

Lucr. 5. 1183-1203.

CCXXXIX

LAR FAMILIARIS

ne quís miretur quí sim, paucis éloquar.
ego Lár sum familiáris ex hac fámilia,
unde éxeuntem me ádspexistis. hánc domum
iam múltos annos ést quom possideo ét colo,
patríque avoque iam húius, qui nunc híc habet.
sed míhi avos huius óbsecrans concrédidit
aurí thensaurum clam ómnis; in medió foco
defódit venerans mé ut id servarém sibi.
is quóniam moritur,—íta avido ingenió fuit,—
numquam índicare id fílio voluít suo,
inopémque optavit pótius eum relínquere
quam eúm thensaurum cónmonstraret fílio.
agrí reliquit éi non magnúm modum,
quo cúm labore mágno et misere víveret.
ubi is óbiit mortem, quí mi id aurum crédidit,
coepi óbservare, ecquí maiorem fílius
mi honórem haberet quam éius habuissét pater.
atque ílle vero mínus minusque inpéndio
curáre minusque me ínpertire honóribus.
item á me contra fáctumst. nam item obiít diem.
is ex se húnc reliquit, qui híc nunc habitat, fílium
paritér moratum ut páter avosque huiús fuit.
huic fília unast; éa mihi cottídie
aut túre aut vino aut áliqui semper súpplicat;
dat míhi coronas. éius honoris grátia
fecí thensaurum ut híc reperiret Eúclio,
quo illám facilius núptum, si vellét, daret.

Plautus *aulularia. prol.* 1-27.

CCXL

(*a*) quid tibi nobiscum est, ludi scelerate magister,
invisum pueris virginibusque caput?
nondum cristati rupere silentia galli:
murmure iam saevo verberibusque tonas.
tam grave percussis incudibus aera resultant,
causidico medium cum faber aptat equum:
mitior in magno clamor furit amphitheatro,
vincenti parmae cum sua turba favet.
vicini somnum non tota nocte rogamus:
nam vigilare leve est, pervigilare grave est.
discipulos dimitte tuos. vis, garrule, quantum
accipis ut clames accipere ut taceas?

Mart. 9. 68.

(*b*) difficilis facilis, iucundus acerbus es idem:
nec tecum possum vivere nec sine te.

id. 12. 47.

CCXLI

sic natura iubet: velocius et citius nos
corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
cum subeunt animos auctoribus. unus et alter
forsitan haec spernant iuvenes, quibus arte benigna
et meliore luto finxit praecordia Titan.
sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
et monstrata diu veteris trahit orbita culpae.
abstineas igitur damnandis: huius enim vel
una potens ratio est, ne crimina nostra sequantur
ex nobis geniti. . . . .
maxima debetur puero reverentia. si quid
turpe paras, ne tu pueri contempseris annos,
sed peccaturo obstet tibi filius infans.
nam si quid dignum censoris fecerit ira
quandoque et similem tibi se non corpore tantum
nec voltu dederit, morum quoque filius et qui
omnia deterius tua per vestigia peccet,
corripies nimirum et castigabis acerbo
clamore ac post haec tabulas mutare parabis.

Juv. 14. 31-40, 47-55.

CCXLII

Peliaco quondam prognatae vertice pinus
dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas
Phasidos ad fluctus et fines Aeeteos,
cum lecti iuvenes, Argivae robora pubis,
auratam optantes Colchis avertere pellem
ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,
caerula verrentes abiegnis aequora palmis.
diva quibus retinens in summis urbibus arces
ipsa levi fecit volitantem flamine currum,
pinea coniungens inflexae texta carinae.
illa rudem cursu prora imbuit Amphitriten.
quae simul ac rostro ventosum proscidit aequor,
tortaque remigio spumis incanduit unda,
emersere freti candenti e gurgite voltus
aequoreae monstrum Nereides admirantes.
tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
tum Thetis humanos non despexit hymenaeos,
tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sensit.

Catullus 64. 1-15, 19-21.

CCXLIII

Chremes. Menedemus.

Ch. numquám tam mane egrédior neque tam vésperi
domúm revortor quín te in fundo cónspicer
fodere aút arare aut áliquid ferre. dénique
nullúm remittis témpus neque te réspicis.
haec nón voluptati tíbi esse satis certó scio.
"enim" díces "quantum hic óperis fiat paénitet."
quod in ópere faciundo óperae consumís tuae,
si súmas in illis éxercendis, plús agas.
M. Chremés, tantumne ab ré tuast otí tibi,
aliéna ut cures, éa quae nihil ad te áttinent?
Ch. homó sum: humani níhil a me alienúm puto.
vel mé monere hoc vél percontarí puta:
rectúmst, ego ut faciam; nón est, te ut detérream.
M. mihi síc est usus; tíbi ut opus factóst, face.
Ch. an quoíquamst usus hómini ut se cruciét? M. mihi.
Ch. si quíd laborist, nóllem: sed quid istúc malist?
quaesó, quid de te tántum commeruísti? M. eheu!
Ch. ne lácruma, atque istuc, quícquid est, fac me út sciam:
ne rétice, ne verére, crede inquám mihi:
aut cónsolando aut cónsilio aut re iúvero.
M. scire hóc vis? Ch. hac quidem caúsa qua dixí tibi.
M. dicétur. Ch. at istos rástros intereá tamen
adpóne; ne labóra. M. minume.

Ter. *haut. tim.* I. I. 15-37 (67-89).

CCXLIV

(Cato's review of Pompey's life and death)

"civis obit" inquit "multum maioribus inpar
nosse modum iuris, sed in hoc tamen utilis aevo,
cui non ulla fuit iusti reverentia. salva
libertate potens, et solus plebe parata
privatus servire sibi, rectorque senatus,
sed regnantis, erat. nil belli iure poposcit,
quaeque dari voluit, voluit sibi posse negari.
immodicas possedit opes, sed plura retentis
intulit. invasit ferrum, sed ponere norat.
praetulit arma togae, sed pacem armatus amavit;
iuvit sumpta ducem, iuvit dimissa potestas.
casta domus luxuque carens corruptaque numquam
fortuna domini. clarum et venerabile nomen
gentibus, et multum nostrae quod proderat urbi.
olim vera fides Sulla Marioque receptis
libertatis obit; Pompeio rebus adempto
nunc et ficta perit. non iam regnare pudebit:
nec color imperii nec frons erit ulla senatus.
o felix cui summa dies fuit obvia victo
et cui quaerendos Pharium scelus obtulit enses!"
vocibus his maior quam si Romana sonarent
rostra ducis laudes, generosam venit ad umbram
mortis honos.

Lucan 9. 190-209, 215 7

CCXLV

Memnona si mater, mater ploravit Achillem,
  et tangunt magnas tristia fata deas,
flebilis indignos, Elegia, solve capillos:
  a, nimis ex vero nunc tibi nomen erit!
ille tui vates operis, tua fama, Tibullus
  ardet in extructo, corpus inane, rogo.
ecce puer Veneris fert eversamque pharetram
  et fractos arcus et sine luce facem.
adspice demissis ut eat miserabilis alis
  pectoraque infesta tundat aperta manu.

. . . .

vive pius: moriere pius. cole sacra: colentem
  mors gravis a templis in cava busta trahet.
carminibus confide bonis: iacet ecce Tibullus;
  vix manet e toto parva quod urna capit.
tene, sacer vates, flammae rapuere rogales,
  pectoribus pasci nec timuere tuis?
aurea sanctorum potuissent templa deorum
  urere quae tantum sustinuere nefas.
si tamen e nobis aliquid nisi nomen et umbra
  restat, in Elysia valle Tibullus erit.
obvius huic venias, hedera iuvenalia cinctus
  tempora cum Calvo, docte Catulle, tuo;
tu quoque, si falsum est temerati crimen amici,
  sanguinis atque animae prodige Galle tuae.
his comes umbra tua est; si qua est modo corporis umbra,
  auxisti numeros, culte Tibulle, pios.
ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna.
  et sit humus cineri non onerosa tuo!

Ov. *amor.* 3. 9. 1-10, 37-44, 59-68.

CCXLVI

(Prologue spoken by Laberius when forced by Caesar to act in one of his own mimes)

Necéssitas, cuius cúrsus transversi ímpetum
voluérunt multi effúgere, pauci pótuerunt,
quo mé detrusit paéne extremis sénsibus!
quem núlla ambitio, núlla umquam largítio,
nullús timor, vis núlla, nulla auctóritas
movére potuit ín iuventa dé statu,
ecce ín senecta ut fácile labefecít loco
viri éxcellentis ménte clemente édita
summíssa placide blándiloquens orátio!
etenim ípsi di negáre cui nil pótuerunt,
hominém me denegáre quis possét pati?
ego bís tricenis ánnis actis síne nota
equés Romanus é Lare egressús meo
domúm revertar mímus. nimirum hóc die
unó plus vixi míhi quam vivendúm fuit.
fortúna, inmoderata ín bono aeque atque ín malo,
si tíbi erat libitum lítterarum laúdibus
floréns cacumen nóstrae famae frángere,
cur cúm vigebam mémbris praeviridántibus,
satis fácere populo et táli cum poterám viro,
non mé flexibilem cóncurvasti ut cárperes?
nuncíne me deicis? quó? quid ad scenam ádfero?
decórem formae an dígnitatem córporis,
animí virtutem an vócis iocundaé sonum?

Decimus Laberius 98-121.

CCXLVII

nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis
haesura in nostro tela gerit latere.
sed patrii servate Lares: aluistis et idem,
cursarem vestros cum tener ante pedes.
neu pudeat prisco vos esse e stipite factos:
sic veteris sedes incoluistis avi.
tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu
stabat in exigua ligneus aede deus.
hic placatus erat seu quis libaverat uvam,
seu dederat sanctae spicea serta comae:
atque aliquis voti compos liba ipse ferebat
postque comes purum filia parva favum.

. . . .

sic placeam vobis: alius sit fortis in armis,
sternat et adversos Marte favente duces,
ut mihi potanti possit sua dicere facta
miles et in mensa pingere castra mero.
quam potius laudandus hic est quem prole parata
occupat in parva pigra senecta casa!
ipse suas sectatur oves, at filius agnos,
et calidam fesso comparat uxor aquam.
sic ego sim liceatque caput candescere canis,
temporis et prisci facta referre senem.
interea pax arva colat. pax candida primum
duxit araturos sub iuga curva boves:
pax aluit vites et sucos condidit uvae,
funderet ut nato testa paterna merum.
pace bidens vomerque nitent: at tristia duri
militis in tenebris occupat arma situs.

Tibull. I. 10. 13-24, 29-32, 39-50.

CCXLVIII

PARDALISCA (*alone*)

omnés festinant íntus totis aédibus;
senex ín culina clámat, hortatúr coquos:
"properáte; cenam iám esse coctam opórtuit."
vilícus hic autem cúm corona cándide
vestítus lauteque éxornatus ámbulat.
illae aútem armigerum in cúbiculo exornánt duae,
quem dént pro Căsĭna núptum nostro vílico;
sed nímium lepide díssimulant, quasi níl sciant
fore húius quod futúrum est; digne autém coqui
nimis lépide ei rei dant óperam, ne cenét senex.
aulás pervortunt, ígnem restinguónt aqua:
illárum oratu fáciunt: illae autém senem
cupiúnt extrudere íncenatum ex aédibus.

LYSIDAMUS (*entering and addressing his wife within*) si
sápitis, uxor, vós tamen cenábitis,
cena úbi erit cocta; egó ruri cenávero.
nam núnc novom marítum et novam nuptám volo
rus prósequi—novi hóminum mores máleficos—
ne quís eam abripiat. fácite vostro animó volup.
sed próperate istum atque ístam actutum emíttere,
tandem út veniamus lúci. ego cras híc ero;
cras hábuero, uxor, égo tamen convívium.

P. fit quód futurum díxi: incenatúm senem
forás extrudunt múlieres.

L. quid tu híc agis?

P. ego eó quo me ipsa mísit.

Plaut. *Casina.* 4. 1 and 2. (715 f., 718-728, 732-42).

CCXLIX

paxque fuit non sponte ducum; nam sola futuri
Crassus erat belli medius mora. qualiter undas
qui secat et geminum gracilis mare separat Isthmos
nec patitur conferre fretum, si terra recedat,
Ionium Aegaeo frangat mare: sic ubi saeva
arma ducum dirimens miserando funere Crassus
Assyrias Latio maculavit sanguine Carrhas,
Parthica Romanos solverunt damna furores.
plus illa vobis acie quam creditis actum est,
Arsacidae; bellum victis civile dedistis.
dividitur ferro regnum, populique potentis,
quae mare quae terras quae totum possidet orbem,
non cepit fortuna duos. nam pignora iuncti
sanguinis et diro ferales omine taedas
abstulit ad manes Parcarum Iulia saeva
intercepta manu. quod si tibi fata dedissent
maiores in luce moras, tu sola furentem
inde virum poteras atque hinc retinere parentem,
armatasque manus excusso iungere ferro,
ut generos soceris mediae iunxere Sabinae.
morte tua discussa fides, bellumque movere
permissum ducibus. stimulos dedit aemula virtus.

Lucan I. 99-120.

CCL

expende Hannibalem: quot libras in duce summo
invenies? hic est quem non capit Africa Mauro
percussa Oceano Niloque admota tepenti,
rursus ad Aethiopum populos aliosque elephantos.
additur imperiis Hispania, Pyrenaeum
transilit. opposuit natura Alpemque nivemque,
diducit scopulos et montem rumpit aceto.
iam tenet Italiam, tamen ultra pergere tendit.
"actum," inquit, "nihil est, nisi Poeno milite portas
frangimus et media vexillum pono Subura."
exitus ergo quis est? o gloria! vincitur idem
nempe et in exsilium praeceps fugit atque ibi magnus
mirandusque cliens sedet ad praetoria regis,
donec Bithyno libeat vigilare tyranno.
finem animae quae res humanas miscuit olim
non gladii non saxa dabunt nec tela, sed ille
Cannarum vindex et tanti sanguinis ultor
anulus. i demens et saevas curre per Alpes,
ut pueris placeas et declamatio fias!
unus Pellaeo iuveni non sufficit orbis;
aestuat infelix angusto limite mundi,
ut Gyari clausus scopulis parvaque Seripho.
cum tamen a figulis munitam intraverit urbem
sarcophago contentus erit.

Juv. 10. 147-156, 159-172.

GLASGOW: PRINTED AT THE UNIVERSITY PRESS BY ROBERT MACLEHOSE AND CO. LTD.